

*MASTER  
NEGATIVE  
NO. 91-80191-7*

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the  
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the  
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from  
Columbia University Library

## COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:* SCHOTTMULLER,  
ALFRED

*TITLE:* DE C. PLINI SECUNDI  
LIBRIS....

*PLACE:* LIPSIAE

*DATE:* 1858

Master Negative #  
91-80191-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES  
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87P71  
DZ6

Schottmüller, Alfred, 1834-  
De C. Plini Secvndi libris grammaticis particula  
prima; dissertatio philologica quam... publice  
defendit scriptor Alfredus Schottmüller...  
Typis B. G. Teubneri Lipsiensis, [1858]  
46 p. 21 $\frac{1}{2}$  cm.

Thesis, Bonn, 1858.

376541

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA



FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 1/x  
IMAGE PLACEMENT: IA  IB IIB  
DATE FILMED: 8/26/91 INITIALS ER  
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



**AIM**

**Association for Information and Image Management**



1100 Wayne Avenue, Suite 1100  
Silver Spring, Maryland 20910  
301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS  
BY APPLIED IMAGE, INC.

Q No. 3 87 P 71  
DZG  
DE  
C. PLINI SECVNDI  
LIBRIS GRAMMATICIS  
PARTICVLA PRIMA

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIIS

DIE XXI MENSIS DECEMBRIS ANNI CIOIOCCCLVIII

PVELICE DEFENDET SCRIPTOR

ALFREDVS SCHOTTMVELLER

BEROLINENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

ANTONIUS KLETTE PHIL. DR REG. BIBL. CVST.

AVGVSTVS WILMANN'S REG. PHIL. SEM. SENIOR

CVRTIVS WACHSMVTH REG. PHIL. SEM. SOD. ORD.

TYPIS B. G. TEVBNERI

LIPSIENSIS

ADOLPHO SCHOTTMVELLERO

PATRI

FRIDERICO RITSCHelio

PRAECEPTORI

SCRIPTOR PIENTISSIMVS



## I

C. Plinium Secundum inter ea studia quorum praeclara monumenta, libris naturalis historiae exceptis, omnia temporum iniuria nobis inuidit, arti grammaticae quoque operam nanasse, haec, quae in historiae naturalis librorum praefatione (§ 28) extant uerba testantur: 'Ego plane meis adici posse multa confiteor, nec his solis sed et omnibus quae edidi, ut obiter caueam istos homeromastigas (ita enim uerius dixerim) quoniam audio et Stoicos et Dialecticos, Epicureos quoque (nam de grammaticis semper expectaui) parturire aduersus libellos quos de grammatica edidi et subinde abortus facere iam decem annis, cum celerius etiam elephantum pariant' e. q. s. Quibus uerbis statim ea adiungere liceat quae Plinius Caecilius Secundus in quinta libri tertii epistula ad Baebium Macrum data in catalogo Plinianorum librorum posuit: 'Dubii sermonis octo: scripsit sub Nerone nouissimis annis, cum omne studiorum genus paulo liberius et erectius periculosum seruitus fecisset.' Hos enim dubii sermonis libros grammaticos fuisse eosdemque quos ipse Plinius l. l. 'libellos de grammatica' uocat, luculenter demonstrari potest. Fuit quidem qui illos consilio ab his prorsus diuerso conscriptos esse contenderet, Pliniumque de sermone figurato in illis explicasse sibi persuaderet, D. Heinsius. Is enim in 'laude asini' exempli Elzeuiriani a. 1629 editi pag. 104 haec est professus: 'Caius miserum poetam Atellanam, ob ambiguum, sed intellectum tamen iocum, medio amphitheatro, non ambigue cremavit, et Hermogenem Tarsensem, propter quasdam in historia figuram, crudelissimus Domitianus, cruci cum librariis affixit. De hoc figurato genere non pauca Graeci. A Romanis quidem certe, numquam magis quam Neronis principatu usurpatum constat. Quo et octo dubii sermonis libros Plinius conscripsit.' At

Heinsium errasse iam G. I. Vossius docuit saepius de eis libris disserens, efr. de analogia l. I cap. 36; l. II cap. 6; de historicis latinis l. I cap. 29 et praecipue in institut. orator. l. V cap. 6, cuius in extrema parte haec profert: 'Video homines esse eruditissimos, qui tradant fuse etiam de figurato sermone olim scripsisse Plinium maiorem. Hoc colligunt ex istis Plinii iunioris verbis, ubi auunculi sui opera recenset . . . . . At neququam Plinii mens est, quia non liceret libere sub Nerone loqui aut scribere; eo docuisse auunculum, quomodo schemate homines dicere possent quod uellent: (quod, credo, Plinio non optime abiisset) sed hoc ait, quia sub tyranno illo suspecta essent praeclara ingenia, eo Plinium non ausum fuisse suorum temporum historiam scribere, aut uitas consignare uirorum praestantium, uel aliud eiusmodi, quod libero erectoque ingenio dignum foret: sed demississe se ad opus grammaticum: nempe explicuisse octo libris ea, de quibus inter homines etiam doctissimos quaeri solet, hocne an illo modo loqui aut scribere oporteret. Ita cum alii *clipeus*, alii *clipeum* dicerent; nonnulli *clipeus* et *clupeus* distinguerent, aliqui pro eodem haberent: utramque hanc quaestionem exposuit Plinius secundo dubii sermonis libro, ut clare ait Charisius Sosipater?\*) — Atque re uera cum apud Charisium plurimi loci Plinium in dubii sermonis libris grammaticam tractasse apertissime ostendant, uix intellegitur, quomodo et Dan. Hein-

\*) Mirum sane est, quod Vossius inter septuaginta exempla, quae apud Charisium Pliniauae doctrinae extant, id hoc loco posuit, quod Plini re uera esse ualde dubium uidetur. efr. Charis. ed. Keil. pag. 77, 20 eiusque adnot. Ceterum uno uerbo moueamus necesse est, fuse de illa quaestione et de dubii sermonis librorum conditione disputasse Iohannem M. Catanaeum in comment. ad Plini Caecili epistolae (III, 5), Broterium in praefatione h. n., Antonium Iosephum comitem a Turre Rezzonico in disquisitionum Plinianarum libro V pag. 157, C. Alexandrum in adnotationibus ad Broterianam Plini uitam (pag. XXXIX h. n. librorum Parisiis a. 1827 euolgorum, L. Lerschium in libro de arte grammatica philosophica antiqua I pag. 150sq., Graefenhanium in historia philologiae antiquae IV pag. 100: quorum opiniones enumerare singulas propterea superuacuum uidetur, quod ant aperte utiosae sunt aut leuiter rei summam tangunt argumentorumque praesidio omnino carent.

sium uirum litterarum Romanarum alioqui peritissimum et eos qui eius opinionem secuti sunt obseruatio illa fugere potuerit.

Verum non tam paucis uerbis quam de illa quaestione de altera diiudices, quae in eo uersatur, utrum dubii sermonis libri eidem sint, qui Pliniani 'de arte grammatica' inscripti laudantur, an praeter illos alios etiam grammaticos libros Plinius composuerit. At cum nisi ab initio certum de ea re iudicium argumentisque confirmatum faciamus, uerendum sit, ne certi quidquam de grammaticis Plini reliquiis statui omnino nequeat, ei autem, qui hac de quaestione disseruerunt, Lerschius libro laudato I pag. 179 et Graefenhanus l. l. eam ita tractarint, ut ille nil diiudicaret, hic autem, quamquam de summa rei recte fere sensit, angustias eius et difficultates ne perspiceret quidem, denuo eam subeam atque penitus, quoad licebit, exsoluam necesse est.

Praeter istos 'de grammatica libellos' quos se conscripsisse ipse Plinius l. l. commemorat, Plinianos 'artis grammaticae' libros laudant Priscianus atque Gregorius Turonensis, quorum ille pag. 233 Hertziani exempli hanc inscriptionem 'Plinius Secundus in I artium', pag. 260 hanc 'Plinius Secundus in I artis grammaticae' profert, ille in praefatione librorum, qui 'de uita patrum' inscribuntur, hunc titulum 'Plinius in tertio artis grammaticae libro' exhibet. Ipse uero Priscianus cum praeterea pag. 594 his uerbis 'teste Plinio, qui hoc in II sermonis dubii ostendit' dubii sermonis quoque libros conlaudat, hoc titulo libros quosdam ab istis artis grammaticae libris diuersos significare uidetur, idque ita se habere eo similis esse ueri putes, quod Priscianus diligentissimus alioquin in titulis librorum, quorum auctoritate utitur, adferendis haberi soleat. Nihilo secius illa opinio omnino non conprobanda est. Unum enim solum de grammatica opus scripsisse Plinium luculentissime Caecili Plini epistula supra laudata demonstrat, in qua soli dubii sermonis, non artis grammaticae libri enumerantur. At obiciat forte aliquis, indicem Plinianorum librorum illum a Caecilio compositum lacunosum esse et 'artis grammaticae librorum' titulum librorum errore excidisse. Atque prior quidem eius ratiocinationis pars non prorsus uana uidetur. Cum enim Caecilius librorum titulis ad temporis ordinem enumeratis pauca quidem sed grauissima uerba sine de

consilio eorum siue de temporibus quibus scripti sint, addere soleat: id sane maxime mirum est, quod illi titulo: 'A fine Aufidi Bassi triginta unus' ne unum quidem uerbum additur, quamuis hos historiarum libros quanti Plinius Caecilius aestimauerit, alicubi (cfr. cap. VIII libri V) adpareat atque summo iure insuper desideres, ut de propria quae eis solis fuerit ratione, quod postumi editi sint, hoc loco explicauerit. Adiciat aliquis, altero etiam argumento conprobari posse libri cuiusdam titulum in indice Pliniano intercidisse. Ipse enim Plinius cum in praefatione h. n. ab initio haec proferat: 'simul ut haec mea petulantia fiat, quod proxime non fieri questus es in alia procaci epistula nostra, ut in quaedam acta exeant sciantque omnes quam ex aequo tecum uinat imperium.' quid? nonne his uerbis elucet, T. Vespasianum de eo esse questum, quod in epistula quadam procaci et lepida, a Plinio nuperrime euolgata, is non ostendisset, quanta amicitia et familiaritate Plinius cum se ipso imperatoris filio eodemque imperatore coniunctus esset? Ediderat igitur Plinius epistolam quandam, sine ulla dubitatione libris quibusdam sicut hanc de qua disputatio nobis est h. n. libris praefationem praepositam? Atque cum historiarum libri illo tempore nondum publici iuris facti essent, alios autem libros post Neronis mortem i. e. ab eo tempore, quo T. Vespasianus cum patre imperator factus est, editos Caecilius non enumeret, nonne iure optumo concluditur, epistolam illam a T. Vespasiano indicatam libro Pliniano cuidam Caecili in indice qualis nostris in manibus est non memoratam, praepositam fuisse? Atque si hoc conceditur, nonne ueri simile est, artis grammaticae librorum titulum in illo intercidisse? Non improbanda sane esset haec ratiocinatio, si illa praefationis uerba re uera eam quam supra posuimus sententiam proderent: sed ratione ab hac prorsus diuersa explicari debent. Quibus si quid uideo, id potius Plinius dicit, haec praefatione utpote quam publici iuris faciat, id fieri, quod nuper non factum esse in alia procaci epistula, a Plinio ad Titum missa, hic questus sit; i. e. epistolam, quam ipse Plinius ad Titum nuper miserit, publici iuris factam non esse, ita ut ex ea populus quidem non uidisset, 'quam ex aequo' cum Tito 'uineret imperium:' id uero nunc adparere ex procaci hac quam sit editurus praefatione.

Quae si recte a me disputata sunt, his quidem uerbis alios

atque quos Caecilius in indice recensuerit libros a Plinio scriptos esse non ostenditur. Restat ut de laenna quae in indice illo statuenda uideatur disseram. Quamuis autem negari nequeat, uerba illa 'A fine Aufidi Bassi triginta unus' tam abrupte posita adparere, ut uix quisquam sibi persuasurus sit, hoc modo ea a Caecilio scripta esse alias uberius atque ornatus scribendi genus secuto: tamen artis librorum titulum hoc loco nunquam fuisse positum et duo ad grammaticam spectantia opera Plinium omnino non scripsisse facili negotio ostenditur. Caecilius enim cum dubii sermonis libros enumeret, haec addit: 'Scripsit sub Nerone nouissimis annis cum omne studiorum genus paulo liberius et erectius periculosum seruitus fecisset.' Quomodo, quaeso, haec cloqui potuisset ille, si posterioribus etiam eisdemque felicioribus Vespasiani imperatoris temporibus arti grammaticae operam nauasset Plinius; ni mirum grammatica eius studia excusat, quae ipse ingenio erecti ingenii uiro uix digna iudicat; excusat, inquam, Neronis temporum iniquitatem causatus. Nullo igitur modo haec uerba non peruersa esse demonstrabis, nisi solos dubii sermonis libros Plinium scripsisse concesseris. Neque contra hanc sententiam faciunt ea, quae in praefatione ipse Plinius uerba l. l. posuit: 'libellos de arte grammatica' quibus non titulum librorum sed consilium finemque indicat; quibus cum dubii sermonis libros significare, temporum insuper ratio ut credamus suadet. Cum enim illam praefationem anno u. c. 830 scriptam esse constet, in ea autem iam per decem annos grammaticos et philosophos parturire dicat Plinius contra istos libros, eos circa 820. a. editos esse adparet: dubii sermonis autem libros Caecilius nouissimis Neronis imperatoris annis compositos esse affirmat i. e. eodem fere tempore, quo scriptos esse illos Plinius dicit.

Extat denique, ut uno uerbo tangam, quae apud H. Keilium in praefatione in Charisium pag. VII—XI pluribus uerbis explicata inuenies, grammaticus liber quidam, qui Plinio interdum adseribebatur, uolgo 'Corneli Frontonis de differentiis uerborum' titulo inscriptus. Cum enim in catalogo Bobiensis bibliothecae a Muratorio ant. Ital. tom. III pag. 807 sq. euolgato atque decimo saeculo ab eodem adtributo haec legantur (pag. 821) 'liber Sosipatri I in quo continetur Liber Differentiarum Plinii', cum praeterea in Charisiani codicis Neapolitani fine haec scripta sint:

incipit nec pl' Secum differe uerbo et nomini: haud pauci uiri docti duplici testimonio eius tituli fidem confirmatam putantes non Frontonem sed Plinium eius scriptorem uel auctorem esse concluderunt. Sed re uera illius inscriptionis fides nulla est: H. Keilius enim in praef. pag. XI postquam docuit, codicem illum Charisi, cuius in catalogo bibliothecae Bobiensis mentio fiat, eundem esse, qui nunc Neapoli seruetur, catalogi scriptorem igitur, Plini esse differentias istas ex siglis supra exhibitis conclusisse, haec et illum catalogi scriptorem et nostrates Niebulrium, A. Maium, alios non recte interpretatos esse ostendit, quippe quae hoc modo explicanda essent: 'secuntur nunc plura secundum differentias uerborum et nominum.' Quae cum ita sint, nullum restat argumentum, quo nixus aliquis Plinio imputare miserimum illum libellum possit conari. Ceterum etiam si illis differentiis in codicibus nonnullis Plini nomen praepositum extaret, tamen omnis tali inscriptioni fides abroganda esset, cum tritisimae earum differentiarum nugae longissime absint ab immensa et fere inaudita Plini doctrina.

Praeter dubii sermonis libros Plinium alios grammaticos non scripsisse postquam demonstrauius, de illa inscriptione exponamus. Exoriat sane aliquis, qui ut illum quem Priscianus et Gregorius exhibuerunt titulum defendat, Plinium haec duplici inscriptione 'dubii sermonis siue artis grammaticae libri' usum esse contendat. Sed ne haec quidem opinio stabiliri potest. Cum enim ceteris quos scripsit ille unum solum quoad sciamus titulum praeposuerit, et grandiloquas librorum inscriptiones in praef. h. n. § 23 sq. ipse inrideat, cum praeterea altera duplicis tituli pars 'artis grammaticae' prorsus superuacanea uideatur, haec ipsa denique inscriptio cum posterioris aevi consuetudinem redoleat, illo uno 'dubii sermonis libri' titulo librum suum inscripsisse Plinium maxime est probabile, si quidem quomodo illum titulum a Prisciano et Gregorio elatum explicemus, sat idonea causa reperiri poterit. Neque deest haec ex parte eorum excusatio. Grammatici enim posterioris praecipue aetatis unumquemque librum grammaticum 'artem' uel etiam 'artes' nominarunt, quod recte obseruauit Graefenhan (IV pag. 100); cuius consuetudinis ut unum solum sed ni fallor luculentissimum proferam exemplum: Rufinus in libro de metris pag. 2707 P uerba Flauii Capri 'artium' in medium profert, quem uirum librum

hoc titulo inscriptum non composuisse satis constat. \*) Neque Prisciano illa quidem in titulis proferendis inconstantia, qua modo 'artem' modo 'artes' modo 'dubii sermonis libros' induxit, in malam partem uertenda est, utpote qui eorum quidem librorum, quos ipse in manibus habebat, inscriptores diligenter referre soleat, saepissime autem scriptorum ueterum exempla ex aliis grammaticis in suos libros traducens, eorum siue neglegentiae siue diligentiae fidem non habere non potuit.

Utrum 'dubii sermonis' an 'sermonis dubii libri' titulus praefendus sit, iure dubites, cum Charisius utrumque proferat, hunc octies quidem, illum bis solum, hunc praeterea Priscianus l. s. s., illum autem Caecilius Plinius in catalogo Plinianorum librorum et Pompeius in comment. in art. Donati pag. 202 L. nec non incertus grammaticus ille, cuius de nomine et pronome commentarium Endlicher et Eichenfeld in Anal. gr. lat. ediderunt, pag. 134: qua de causa equidem certi quidquam statuere nolim.

Atque haec sunt, quae de titulo librorum inuestigare mihi contigit; numerum eorum quod adinet octo libris totum commentarium Plinium complexum esse, Caecili auctoritate constat neque ab ullo quoad sciam scriptore liber illo posterior commemoratur. De tempore, quo Plinius eos scripserit, cum iam supra explicatum sit, nunc exponendum est de eis quae tempus tulerunt horum librorum reliquiis.

## II

Maxima uero omnium quae Plinianorum librorum adhuc supersunt fragmentorum pars cum apud Flauium Sosipatrum Charisium extet, fides igitur eorum atque auctoritas de eius fide pendeat, de Charisianis libris et de fontibus e quibus is hortulos suos inrigarit disseramus necesse est.

Charisium eos libros grammaticos quibus nomen suum praefixit minime e suis copiis deprompsisse sed ex aliorum gram-

\*) Cfr. F. Osanni dissert. d. Flauio Capro et Agroecio grammaticis pag. 15.

maticorum libris conguessisse et consarcinasse facile credas, cum non solum ipse hoc fere consilium sibi fuisse in epistula ad filium data primoque libro praefixa his uerbis indicet: 'artem grammaticam sollertia doctissimorum uirorum politam et a me digestam in libris quinque dono tibi misi' c. q. s., passimque in fronte capitum quo ex scriptore singula hauserit, nominatim moneat, sed etiam maxima eorum librorum pars unde sumpta sit nunc inuestigari possit: quod accuratius demonstrare in animo est.

Atque rectissime statuit H. Keilius in praefatione ad Charisium pag. XLV sq., in altera libri II parte tres maxime scriptores eum certo fere ordine exscripsisse, cuius ratio ex hoc schemate facile adparebit:

pag. 180, 28 — 181, 15	K Cominiani	}	de aduerbio doctrinae.
181, 16 — 186, 29	incerti grammatici		
186, 30 — 189, 24	Palaemonis		
190, 8 — 224, 22	Romani		
pag. 224, 24 — 225, 4	Cominiani	}	de coniunctione.
225, 6 — 229, 2	Palaemonis		
229, 3 — 229, 32	Romani		
pag. 230, 4 — 230, 32	Cominiani	}	de praepositione.
231, 1 — 236, 15	Palaemonis		
236, 16 — 238, 14	Romani		
pag. 238, 19 — 238, 22	Cominiani	}	de interiectione.
238, 23 — 238, 25	Palaemonis		
239, 1 — 242, 12	Romani		

Ea, quae pag. 186, 30—189, 24 extant, quamuis Palaemonis nomen a Charisio non adiciatur, tamen recte ei ab H. Keilio adtribuuntur, qui praef. pag. XLIX pluribus uerbis de eis disputauit; atque tribus quae exhibuit argumentis quartum etiam addere licet ni fallor omnium luculentissimum. Cum enim et Cominianus et Romanus, quos grammaticos praeter Palaemonem Charisium maxime secutum esse adparet, et plurimi omnino artium scriptores Romani quotiens exempla cuiusuis generis in medium proferunt, siue *ut* coniunctione siue *quasi* siue *utputa* vel *sicut* et *tamquam* uti soleant, Palaemon ab illis in eo differt, quod quotiens non ueterum scriptorum uerba laudat, sed aut singula uerba

in exemplum uocat aut ipse exempla suum in usum sibi fingit, ea semper *uelut* coniunctione inducit. Conprobatur autem haec observatio plurimis exemplis: nam in eis quae de coniunctione pag. 225—229 exhibentur Palaemonis nomine inscripta, nouiens deciens *uelut* coniunctio occurrit; in eis quae pag. 231—236, 15 e Palaemonis de praepositione commentario recepit Charisius, deciens; pag. 238 in duobus uersibus istis, qui Palaemoni adscribuntur, semel *uelut* extat. Neque id morari nos potest, quod semel uel bis etiam *ut* coniunctio posita est, quae pag. 225, 14. 15 et 232, 30 reperitur: quod aut Charisi aut librariorum neglegentia ortum esse facile concedes. Praeterea autem id mendum est, interdum Charisium suas observationes aliorum grammaticorum uerbis immiscuisse, quas ex eo facile cognoscas, quod Charisius plerumque *utputa* uel *quasi* coniunctione utitur.\*) Neque magis uexare nos possit, quod in Cominiani quoque commentariis semel et in Romani reliquiis interdum *uelut* coniunctio occurrit, sicut 190, 18. 191, 12. 13. 194, 14. 196, 1. 236, 30. 237, 21. 238, 2. Primum enim, quod locos hos 190, 18. 191, 13. 194, 14. 196, 1 adinet, ei non ad observationis meae rationem spectant, quod in eis *uelut* coniunctio non eo consilio, ut exempla adferrentur posita est, sed *explicandi* uel *comparandi* potius notionem et nim tenet; his autem locis 237, 21. 238, 2 *uelut* coniunctione grammaticus uteretur necesse fere fuit, quod ibidem *ut* coniunctio alia notione posita fuerat: pag. 191, 12 autem et 236, 30 Charisi uel librariorum errore *uelut* pro *ut* positum esse censeo: quamquam id quoque a similitudine ueri non abhorret, quod aliquis statuatur, Romanum sibi ipsum hac in re non constitisse. —

Ea igitur quam supra exposui obseruatione id quoque con-

\*) Sic in eis quae pag. 231—236 Palaemonis esse diximus, ni fallor ea, quae pag. 231, 1—232, 6 '*et de domo*' extant uno tenore ex eius libro translata sunt; ea, quae sequuntur pag. 232, 6—10 Charisi esse uidentur, qui uersu sequenti ad Palaemonis librum se redire ipse nomine eius adlato testatur. quae pag. 234. 235 extant, ni fallor, Palaemonis quidem sunt, sed non ad uerbum exscripta, quamquam Palaemonis non doctrinam solum sed uerba quoque interdum Charisium premere, ipsum docet disserendi genus, simillimum ei, quod Palaemonis esse constat.



probatur quod H. Keilius contendit, Palaemonis esse quae pag. 186—189 extant; et altera ex parte, cum haec Palaemoni adtribuenda esse suis argumentis iam ostenderit Keilius, haec obseruatio de *uelut* coniunctionis usu apud Palaemonem eis confirmatur: uiciens ter enim in tribus istis paginis reperitur.

Atque eadem de caussa Palaemoni nonnum quoque caput et maiorem decimi partem eiusdem alterius libri, in quibus de ordinibus uerborum eorumque declinationibus disseritur, adtribuo; *uelut* coniunctionis usus enim haec Palaemonis esse demonstrat:

pag. 168, 35 — 169, 34.

170, 1 — 170, 24.

170, 31 — 171, 14.

171, 36 — 172, 19.

172, 34 — 173, 12.

Praeterea autem quin totum librum tertium a Palaemone mutatus sit Charisius nullo modo dubitari potest; sexcentiens enim fere *uelut* illud occurrit, cum uix uno uel altero loco *ut* inuenias. Libri quinti denique ea, quae ab initio pag. 291, 1 — 292, 15 de idiomatis exponuntur eandem ob caussam Palaemoni adtribuenda sunt. \*)

Quamquam autem ea, quae his obseruationibus nixi Palaemoni adtribuenda esse statuimus, per se satis firma esse uidentur, tamen aliis quoque argumentis constabiliri poterunt.

Etenim non praetereundum est, quod iam H. Keilius in praef. pag. LI indicauit 'obseruationes uerborum,' quas in tertio libro Charisius exhibeat, uel omnes uel plurimas a Palaemone receptas nideri; ea certe quae in fine eius libri pag. 262, 25 sq. de qualitatibus latini sermonis uel de coniunctione temporum

\*) Qui secuntur idiomatum indices a Palaemone non confecti sunt: quemnam uero grammaticum hoc loco Charisius exscripserit, inuestigare mihi non contigit. Palaemonis autem idiomatum indicibus suo more Diomedes usus est, alia elegens alia omittens, qui quamquam plerumque scriptorum eorum quorum uestigia sequitur uerba non premit, tamen *uelut* illud haud paucis locis seruauit: ceterum Palaemonis doctrinam cum exhibere exempla quoque in medium prolata demonstrant, quae ex eisdem scriptoribus collecta sunt, quibus Palaemon utitur, e Cicerone et Terentio, de quibus uideas quae infra exponam.

scripta sint, ab eo translata esse. Atque cum ille eius sententiae argumenta nulla addiderit, utrum eisdem obseruationibus quibus ego nixus sit nec ne nescio; si non, illius argumenta meam ratiocinationem confirmabunt.

Inspicientibus uero nobis quae de uerbo eiusque declinationibus disseruit Charisius facili negotio adparebit, eum minime sibi constare in modorum et temporum significationibus, sed diuersissima eorum nomina exhibere. Quod probabiliter nullo alio modo explices, nisi hoc, e diuersis libris exscriptas esse particulas, in quibus non eisdem significationibus grammaticus utitur. Atque unius eiusdemque grammatici esse et quae in libri II capite nono et decimo Palaemoni adscripsimus et quae in libro tertio extant, nil magis confirmat, quam quod in istis libri alterius particuli et in tertio libro summa cum constantia ubique eadem modorum et temporum nomina exhibentur. Sic, ut ab eis incipiam, quae leuioris momenti esse puto, ubique '*quattuor ordines*' discernuntur, cum eis in particulis, in quibus Cominiani, alterius quem Charisius de uerbo disserens secutus est grammatici, doctrina traditur, '*tres declinationes uerborum*' statuuntur. Praeterea autem illae quas Palaemonis esse indicauimus particulae a ceteris Charisiani de uerbo commentarii capitibus eo differunt, quod in illis ubique haec solum partitio et haec modorum temporumque nomina occurrunt:

modus finitiuus: temporis instantis, temporis praeteriti imperf., perf., plusquamperf., fut.

modus imperatiuus: instantis

modus optatiuus: instantis, praeteriti imperf., perf., plusquamperf., fut.

modus subiunctiuus: inst., praet. imperf., perf., plusquamperf., fut.

modus infinitiuus: instantis, \*) praeteriti, fut. uri. \*\*)

\*) Hinc facile perspicias qua de caussa quasdam l. II capitis decimi particulas Palaemoni non adscripserim, sed a Charisio additas esse iudicauerim, utpote qui pro '*instans temp.*' significatione '*praesens*' uoce utatur.

\*\*) Possit aliquis in ultimo libri III capite doctrinam a ceteris abhorrentem proferri contendere, cum in eo tres tantum uerbi '*qualitates*' uel modi pag. 262, 27 enumerentur: '*finitiuus, optatiuus, sub-*

Eaedem temporum significationes occurrunt etiam in ea libri quinti parte (pag. 291, 1 — 292, 15) quam a Palaemone profectam esse supra exposuimus.\*)

Quae omnia postquam unius eiusdemque grammatici esse istorum significationum usu ostendimus, ansam quoque praebent demonstrandi, esse ea Palaemonis. Nam quae pag. 225, 5 sq. de coniunctione exponuntur, cum ipse Charisius Palaemoni adtribuat, in eis autem eadem quinque modorum uerbi quae in illis occurrunt partibus significationes reperiantur et praecipue is modus quem Cominianus et ipse Charisius *coniunctiuum* nominare solent, in his sicut in illis *subiunctiuus* adpelleitur, cum praeterea optatio modo eadem potestas et uis, quae in illis partibus, a Palaemone tribuatur, illae quoque Palaemoni adseribendae sunt.

Tertium denique argumentum quo ea omnia quae Palaemoni adscripsiuis, ab uno eodemque grammatico, Palaemone composita esse conprobes, in eo positum est, quod ubique eorundem paucorum scriptorum uerba in exemplum uocantur. Sicut enim in eis Charisianorum librorum particulis quas ipse grammaticus e Palaemonis libris se hausisse testatur Palaemonis nomine addito, paucissimi et tritissimi scriptores Cicero et Vergilius soli compluribus locis, singulis Terentius et Horatius laudantur, sic etiam in commentatione de aduerbio pag. 186 sq. Cicero solus,\*\*) in decimo libri II capite pag. 174, 25 Sallustius et Liuius,\*\*\*) in tertio

*iuunctiuus*: cui offensioni hic quidem locum non esse ex eo intellegis, quod in eis uerbis non omnes uerborum qualitates sed eae solum adferuntur *quibus tempora copulata sermone coniectantur.*

\*) Ceterum etiam haec ex parte ea ualent quae iam supra monui nil morae oriri posse inde quod semel uel bis etiam in eis quae Palaemonis esse diximus partibus pro *instantis* uoce *praesens* uocabulum positum sit: ei enim loci aut a Charisio omnino inserti sunt, sicut qui pag. 247, 13 et 248, 18 extant — in utroque enim loco *ut* etiam pro *uelut* occurrit — aut Charisii in transcribendo negligentia non ad uerbum translata sunt.

\*\*) Quae pag. 189, 25—190, 4 extant Palaemoni non adscripsiuis cum in eis Varronis *περὶ χροακτῆρων* liber tertius laudetur, huiusmodi uero doctrina a Palaemone prorsus aliena sit; cfr. de Palaemonis rationibus quae infra exponam.

\*\*\*) Quae Veli Longi commentarii mentio sit pag. 175, 11 utrum a

libro Vergilius et Cicero saepius, Catullus pag. 252, 25 et Sallustius 253, 11 semel,\*) in quinti libri denique exordio Vergilius ter nominatur.\*\*\*) —

Priusquam ad librum I animos aduertentes quaenam in eo Palaemoni adtribuenta esse uideantur, disseramus, paucis uerbis Cominiani et Romani in ceteris libris quae uestigia extant, explicabimus. Et Cominiano haec se transtulisse Charisius ipse adfirmat:

175, 29 — 178, 33. \*\*\*)

180, 11 — 180, 26.

180, 28 — 181, 15.

224, 24 — 225, 4.

230, 4 — 230, 31.

238, 19 — 238, 22.

265, 1 — 265, 22.

266, 15 — 266, 22.

Ceterum difficillimum est circumscribere quae Charisius Cominiani nomine non adposito ex eo grammatico traduxerit. Fere nulla enim singularis illi est doctrina, omnia tritissimis et uolgaribus constant praecipis neque e scriptoribus commemoratis colligere licet, quae forsitan ei adtribuenta sint, cum praeter Vergilium uix unius uel alterius rarissima occurrat mentio, plerumque ne nomine quidem addito. Nihilominus secius praeter illa quae supra posui capita quaedam ei adtribuere ausus sum hac uia progressus.

Palaemone an a Charisio profecta sit, dubito. A Palaemone enim eam non abhorreere infra demonstrabo.

\*) Apulei memoria, pag. 248, 5 exhibita utrum Palaemoni an Charisio adtribuat, maxime dubium est, quod saepissime ea quae in capitum extremis partibus posita sunt, a Charisio adpersa esse constat.

\*\*) Praeterea Plinium quoque ter a Palaemone commemorari, infra docebo.

\*\*\*) Non uerendum mihi uidetur, ne quis audacior me iudicet, quod tam accurate fines Cominiani quoque commentariorum statuerim, quippe quos ipse Charisius non designauit: qui enim diligentius singula examinauerit, facile colliget plerumque uerba etiam quibus dissertatiunculae grammaticorum singulae finiuntur aut e disserendi uia aut e rerum nexu posse enucleari.

Ab initio libri quarti de barbarismo et de soloecismo disserens Charisius praeter Cominiani doctrinam (pag. 261, 1—22 et 266, 15—267, 22) alterius incerti grammatici uerba exhibet his additis: 'aliis ita placuit definire de barbarismo' — 'aliis uberius ita placuit definire de soloecismo.' Quae autem in sequentibus exponuntur de ceteris uitiis, de tropis, de metaplasmo, de 'schemate lexeos et dianoeas' ita comparata sunt, ut e concinnitate disputationis lucide adpareat, haec non ex diuersis libris a Charisio congesta sed ex uno eodemque uno tenore translata esse. \*) Quas easdem res Diomedes pag. 449 sq. explicans, suum morem conplurium grammaticorum doctrinas in unum commentarium congerendi secutus est. Quem commentarium si accuratius perlustraueris facile perspicias, haud pauca cum eisdem uerbis tradere, quae apud Charisium legantur, alia autem ab eis quae Charisius exhibeat prorsus esse aliena. Atque his quidem quae Charisio desunt, ter Scauri nomen a Diomede adpositum est, qua re H. Keilium recte statuisse concedes, qui eis in locis, quibus duae diuersae inter se sententiae traduntur, alteram Scauro quem saepissime Diomedem exscripsisse constat, adtribuendam esse coniecit. De barbarismo uero et de soloecismo capita ea solum quae Cominiani esse Charisius dicit, cum Diomede communia habent. Quae cum ita sint, ut in capitibus de barbarismo atque de soloecismo et Charisius et Diomedes duos grammaticos, uterque unum eundemque Cominianum, alterum diuersum, in ceteris uero capitibus Charisius unum solum, Diomedes duos, quorum alterum cum Charisio communem habeat, sequatur: iure nostro conicimus, hunc, cuius uestigia uterque in illis capitibus premit, eundem esse quem uterque in capitibus de barbarismo et de soloecismo exhibet. \*\*) Quae si probabiliter disputauimus, omnia quae pag. 270, 23—287, 16 extant, Cominiano adtribuenda sunt. Neque contra hanc sententiam facit, quod in eis capitibus praeter Vergilium antiquarum fabularum etiam tunc deperditarum reliquiae

\*) Charisium enim haec capita non suo Marte composuisse inde conligitur, quod Diomedes in plurimis cum eo consentit, Diomedem autem Charisi artem non exscripsisse constat.

\*\*) Contentat aliquis, Charisium ipsius Diomedis uerba exscripsisse; sed hoc negandum est propterea, quod Diomedes unum commentarium de singulis quaestionibus exhibet, Charisius duos.

traduntur, quae doctrinae paullo uetustioris et minus tritae uestigia prae se ferunt: nam cum quarti saeculi grammaticis quibus Cominianus adnumerandus esse uidetur, copiae e quibus \*) illarum cognitionem haurire possent, si quidem uoluerint, minime defuerint, cum praeterea posterioris aevi grammaticum in illis commentariis ex eo quoque cognoscas, quod uno Ennio excepto, cuius nomen pag. 267, 7 legitur, nomina poetarum unde singulos uersus sibi elegerit, numquam addat, cum haec ipsa consuetudo denique a Cominiano non aliena sit, illa offensio re uera nulla est.

Multo autem certius ni fallor eam Charisianorum librorum particulam, quae pag. 164, 13—26 extat Cominiani esse demonstrabitur. Conspirant enim ea miro modo cum eis quae Cominianus pag. 180, 11—26 de participio exponit. Atque primum in utraque dissertatiuncula quinque genera uerbi discernuntur ad eundemque ordinem enumerantur: 'actiuum, passiuum, neutrum, commune, deponens'; deinde eadem fere uerborum exempla in medium proferuntur, in priore loco haec: 'lego, legor, sedeo, adolor, luctor', in altero: 'lego legor sedeo uador luctor', disserendi denique genus in utroque idem est simplex et breuissumum.

Tertius grammaticus cuius copias se usum esse confitetur Charisius, C. Iulius Romanus est, cui haec adsignantur: 190, 8—224, 22. 229, 6—230, 2. 236, 16—238, 16. 239, 1—242, 12. Quae praeterea ei (libro I excepto) certis argumentis adscribam, non habeo; duo, quae libro IV 'de uersu Saturnio' atque 'de rhythmo et metro' exhibentur capita, ei adscribi ratio suadet. Inter eos enim artium scriptores quos Charisius siue excerpsit siue exscripsit, C. Iulius Romanus unus summa eruditione excellit atque a ceteris tantopere differt, ut uel primo oculorum obtutu quae Charisius ex eo hauserit adpareat. Solus enim ille summa reliquiarum cuiusuis generis scriptorum in medium prolatarum copia atque re uera abundantia floret, soli illi antiquorum scriptorum frustulas dilaceratas quidem sed tamen pretiosissimas

\*) ut ex uetustiorum grammaticorum libris, Varrone Plinio Suetonio aliis; ipsas enim tragoedias et comoedias, Terenti et Plauti exceptis, quarto saeculo p. Chr. n. superstites atque ita uolgas fuisse, ut multis eas cognoscendi facultas fuisset, uix credas.



debemus, quae Charisium fere grauissimum nobis auctorem reddunt in omnibus et artis grammaticae et historiae litterarum latinarum studiis. Nullum nisi tritissimum scriptorem a Charisio laudatum inuenies, eis exceptis capitibus, quae e Romano traduxit grammaticus. Ea enim quae in libro primo antiquioris eruditionis extant uestigia ad unum eundemque Romanum reuocanda esse postea ostendemus.\*) Ea uero quae de uersu Saturnio et de rhythmo et metro explicantur, cum sat antiquam spirent doctrinam, cum uersibus eis, qui in capite de Saturnio uersu laudantur, et scriptorum et fabularum nomina adposita sint, cum deinde Laenius poeta in eo capite laudatus, bis etiam apud Romanum occurat (pag. 145, 21 et 204, 6) atque hoc loco idem *Erotopaeonion* liber laudetur, cum denique Attius, cuius nomen bis in capite de Saturnio uersu, semel in capite de rhythmo et metro reperitur, eodem modo saepe a Romano citetur (203, 10. 117, 14. 126, 13. 20. 141, 34. 220, 9): equidem, quamuis alias Iulium Romanum de metris quoque in libro uel libris ἀφορω̄ων disseruisse non traditum sit, ab hoc Charisium ea capita mutuatum esse coniciam: ceterum ex arbitrio unusquisque aut demat aut addat fidem.

Postquam ad hunc locum peruenimus, liceat de octo primis libri alterius capitibus pauca adserere, priusquam ad eos auctores animos aduertamus, quos in primo libro Charisium exersisse demonstraturi sumus.

Quinque priora libri II capita quod adinet, quae totidem fere uersibus constant, certi quidquam non statui nemo miretur: 'orationis' definitionem quidem Scauri esse ex Diomede (pag. 300, 19) conligitur: a Scauro uero eam mutuatum esse Charisium minime ueri est simile, cum illum, quoad sciam, omnino non in manibus habuerit; qua de causa statuas potius, definitionem illam Charisium ex Cominiano uel Palaemone transtulisse, quorum uel hic uel ille Scaurum exersipserit. Sexti capititis de nomine doc-

\*) Ea quae Cominiano supra tribuimus libri IV capita a Romani abhorrent doctrina; nam id maximum inter utriusque grammatici genus disserendi intercedit discrimen, quod ille, uno Ennio excepto, nusquam nomina exhibet, hic diligentissime et nomina et saepe titulos quoque librorum addidit.

trinam ab uno profectam esse grammatico, et rerum et dictionis continuitas ut credamus suadet; cuiusnam uero esset, inuestigare mihi non contigit. Ea uero quae in septimo capite de pronomine et in octauo de uerbo exposuit Charisius, e compluribus fluxisse libris ipse indicat. In septimo capite trium commentariorum particulae obseruantur: 157, 24 — 159, 35; 159, 36 — 161, 19; 161, 20 — 164, 11. Clamet fortasse aliquis duos tantum esse commentarios atque eum, quem tertio loco posuerim, prioris alteram partem esse contendat. Quamuis autem negari nequeat, in prima particula pronominum declinationes, quae in tertio explicantur, non tradi, ita ut hac ex parte illi opinioni angustiae non nascantur, quamuis id quoque concedendum uideatur, in tertia particula uocatiuum pronominum, quem primus doceat grammaticus pag. 158, 12 re uera non esse casum, quem uero ipse ne quid in declinatione desideretur, se additurum esse polliceatur, inter ceteros casus ex ordine enumerari: tamen ea opinio tribus de causis omnino reicienda est. Primum enim, atque id grauissimum duco argumentum, in prima dissertatiuncula *fmilitia* solum et *infinitia* discernuntur pronomina, in tertia uero tria eorum genera: *finita infinita minus finita*; deinde in tertia multo maior diuisionis ars quam in prima elucet, ita ut illam Palaemoni, hanc Cominiano probabiliter adtribuas; non intellegitur denique, si utramque eiusdem esse grammatici status, quapropter in prima particula de genetiuis singularis numeri casibus separatim disseratur, cum in tertia totae exhibeantur declinationes.

Difficillimum uero de octauo capite est iudicium, in quo ni fallor quinque adeo grammaticorum uestigia occurrunt, hisce distincta finibus: 164, 13 — 26; 164 — 165, 32; 165, 33 — 168, 4; 168, 5 — 18; 168, 19 — 33. Atque ea quae ab initio pag. 164, 13 — 26 extant, Cominiani esse iam supra monui. Praeterea ea quae pag. 168, 5 — 18 exhibentur, ab eodem grammatico profecta esse, cui Charisius commentationem de participio pag. 178, 36—180, 10 propositam debet, adparet, quia utroque loco eadem temporum significationes eferuntur, deinde quod ea quae pag. 168, 17 de frequentatiuo uerbo exponuntur, eodem 'lectitare' exemplo adhibito, pag. 179, 21 — 23 leguntur, praeterea quod eadem fere uerborum exempla occurrunt; quorum in numero praecipue 'limare' illud quod in utroque capite reperitur uerbum

minus usitatum nominandum est. Ceterum caueas, ne e quinque diuersis libris quinque illas commentatiunculas congesse Charisium putes, quod a similitudine ueri abhorret: unum eundemque grammaticum quo usus sit Charisius plures exhibuisse sententias equidem mihi persuasum habeo.

In posterioribus libris componendis quos auctores habuerit Charisius postquam quoad licuit exposuimus, ad primum denique nos conuertimus librum, cuius singulae rationes partim difficillimae explicatu partim ualde obscurae sunt. Quamquam enim in eo quoque libro integras aliorum grammaticorum commentationes ad uerbum recepit Charisius ita ut duas uel tres doctrinas inter se diuersas singulatim enarraret, tamen in conpluribus capitibus congerendis eodem fere more, quo Diomedes usus est, qui e singulis conplurium grammaticorum commentariis unum effecit, ita ut modo ex hoc modo ex illo singulas sententias, observationes exempla reciperet suisque coneceret. Intereedit quidem inter Diomedem et Charisium etiam in hoc negotio id discriminis quod ille aliorum commentariorum copiis multo liberius usus est, modo singulas observationes excipiens modo uerba, sola sententiae summa relicta, prorsus commutans, hic autem perpaucis si quid uideo additis, ad uerbum fere exscripsit singulas aliorum grammaticorum regulas ac praecepta, itaque multis in locis quae uel unius uel alterius sint grammatici uerba, adhuc perspicitur. Vt autem singula eius libri capita ex ordine perstringam, de I, II, III capite nihil statuere licet, quippe quae fere tota temporum inuidia perierunt; in quarto 'de syllabis' et in quinto 'de communibus syllabis' duplices commentarii extant, auctorum nominibus non additis. Sextum, septimum, octauom, uonum caput cum singulis fere definitionibus constant, cui Charisius debeat, ualde dubium est. Caput decimum maxuma ex parte Palaemonis esse, *uelut* illud, quod quinquagens in eo occurrit, demonstrat. Praeterea ipse titulus, qui ei inscriptus est capiti 'de ordinibus (seu declinationibus) nominum' ei, qui nono alterius libri capiti 'de ordinibus uerborum' praepositus est, aperte respondet. Qua re cum hoc caput a Palaemone compositum sit, is autem summa dispositionis arte et maxima diuisionis constantia omnes grammaticos latinos quoad uideo longe superet, in hac titulorum similitudine, ni fallor, alterum argu-

mentum positum est, quo nixus decimum caput Palaemoni adscribas. Non continue autem Charisium eum exscripsisse, sed alterius grammatici observationes haud raras adpersisse et intermiscisse eius regulis ex eo maxime adparet, quod *ut* quoque coniuunctio triciens fere reperitur in quibusdam particulis, atque quamquam interdum sine ulla dubitatione Charisi librorumue neglegentia pro *uelut* uoce posita est, plurimis tamen locis observationes non e Palaemonis libris traductas arguit.

Similis ei, non eadem ratio obseruatur in undecimo capite, quod maxumam partem ex unius grammatici libro, ni fallor, Cominiani exscriptum est, obseruationibus intermixtis haud paucis e Palaemonis libro.

Duodecimo capite quae traduntur, Palaemonis sunt, his pag. 35, 21—26 exceptis, quae ex altero grammatico hausta esse et *utpote* coniuunctio et id maxime ut credamus suadet, quod haec apud Phocam pag. 1692 extant, cuius in libro reliqua eius capitis pars non reperitur. Palaemoni autem id caput adtribuo, quod quae singula nomina regulae illustrandae caussa enumerantur, *uelut* coniuunctione non *ut* adnectuntur.

De decimo tertio capite paucos uersus continente certi quidquam statuere non licet. Quartum et decimum caput quod 'de nominatiuis ad regulam redactis' inseribitur, ex duobus commentariis conflatum est, quorum alterius scriptor ulla sine dubitatione Palaemon est, alterius incerti nominis grammaticus. Palaemoni haec fere adtribuas: 39, 5—15; 40, 12—42, 18; 42, 22—43, 15; 43, 24—28; 44, 3—9; 44, 21—45, 19; 46, 1—17; 48, 1—12; 49, 3—12. Atque de singulis eius capitis particulis disputemus necesse non uidetur, cum constans *uelut* coniuunctionis usus plurimarum particularum auctorem luculenter prodatur; de nonnullis si quis dubitare uelit equidem eum non refutem.

De decimo quinto capite priusquam pluribus uerbis disseramus, de ceteris primi libri capitibus breuiter exponamus. Sextum decimum caput quod 'de gradibus comparationis siue conlationis' inseribitur, duobus constat commentariis, quibus ipse Charisius pauca frustula e Romano conlecta et fortasse ea etiam, quae in fine sunt capitis, proprio Marte adiecit. Prioris commentarii, qui pag. 112, 14 sq. legitur, quinam fuerit scriptor

nescinus; alter qui pag. 114, 30 sq. extat, a Palaemone profectus est.

Septimum et decimum caput, 'de analogia' inscriptum totum se Romano debere ipse indicat Charisius in fronte capituli; attamen paucas observationes eum ipsum Romani uerbis inseruisse postea adparebit. Decimi octavi 'de ablatino casu' capituli initio Cominiani doctrina traditur, deinde pag. 148, 14 — 150, 20 incerti cuiusdam grammatici. In nono et decimo denique capite unius solum grammatici de formis casualibus observationes exponuntur.

Restat ut de decimo quinto capite exponam, de quo H. Keilius in praefatione pag. XLVII disserit hisce uerbis: 'iam si quaeris num quid praeter illa quae ipso (Romani) nomine inscripta supra composui ex eodem libro Charisius receperit, duobus maxime locis etiam antiquae doctrinae reliquiae extant, in illis quae de extremis capitibus nomina scripta sunt 50, 7 sqq. et in iis quae istum commentarium excipiunt de inaequalitate sermonis et de differentia uocabulorum 93, 3 sqq. ex his pauca quaedam praeter ea quae paulo ante indicaui ex eodem titulo de analogia quem in fine libri Charisius exhibuit deprompta sunt, plura ex titulo de consortio casuum peti potuerunt.' e. q. s. Atque id sane infitari non licet, Charisium haud paruam eius capituli partem Romano debere; attamen et aliis libris usus est, ita ut disiecta singulorum membra rudi arte contexta esse bene perspicias. Adhibuit uero praeter C. Iuli Romani copias praesertim Palaemonis librum, cuius uestigia haud rara patent; utrum tertii uero grammatici etiam commentario usus sit nec ne, ualde est dubium; quamquam enim haud paucae reperiuntur observationes, quae neque Romani neque Palaemonis doctrinae dictionique conueniant, tamen non ita comparatae sunt, ut a Charisio ipso eas non profectas esse, demonstrari possit: ceterum nullius eae fere momenti sunt, quippe quae tritissimam doctrinam et ridiculas interdum etiam nugae contineant, Romanum autem et Palaemonem neque exemplorum copia neque acimine adaequent. Atque ea, quae Palaemoni adscribenda sunt et ex *uelut* coniunctionis usu et ex eo facile perspicitur, quod eadem regulae quae in capitibus superioribus Palaemoni adtributis scriptae sunt, eisdem fere uerbis expressae denuo occurrunt. Romani autem libro se usum esse in hoc capite

ipse testatur Charisius, cum nomen eius hisce locis laudet: 51, 5; 53, 12; 55, 4 (cfr. 'Addenda II. Keili'); 61 5; multo plura autem ex illius copiis eum transtulisse in hoc caput, inculenter inde adparet, quod haud pauca quae a Romano se recepisse non profitetur, aut ad uerbum aut a sententia cum eis conueniunt, quae in capite decimo septimo ipse Romanus profert. Quod ut demonstrem, totum percurrans XV caput, qui singuli eius tituli cum observationibus in XVII capite communicatis conspirent, ostendam.

pag. 52, 17 — 52, 20 cfr. p. 143, 25 — 29 *Saturnalia*

55, 3 — 55, 8	„	138, 18 — 139, 3	<i>osse</i>
55, 9 — 55, 16	„	128, 12 — 16	<i>in es productam finita nomina e. q. s.</i>
60, 10 — 60, 11	„	125, 4	<i>comphuria</i>
62, 9 — 62, 19	„	117, 18 — 23	<i>animale</i> et 146, 31 <i>uectig.</i>
63, 16	„	132, 8, 9	<i>caro Anio</i>
63, 26 — 63, 30	„	117, 24 — 28	<i>Allecto</i>
64, 20 — 65, 5	„	131, 33 — 36	<i>Hippocoon</i>
		145, 8 — 13	<i>turben</i>
		144, 30 — 145, 2	<i>turbo</i>
		118, 3, 4	<i>Antiphon</i>
		126, 20	<i>dracon</i>
65, 15 — 65, 25	„	119, 9 — 28	<i>ambo</i>
65, 29 — 66, 10	„	145, 23 — 26	<i>testu</i>
		146, 10	<i>ucra</i>
66, 11 — 66, 23	„	120, 32	<i>Aenca</i>
		121, 8 — 10	<i>as finita nomina e. q. s.</i>
68, 5	„	132, 10	sub titulo <i>heres Pericletis</i>
68, 17	„	124, 10	<i>Belidis</i>
68, 19 — 68, 26	„	132, 17 — 24	<i>Herculi</i>
68, 34 — 69, 4	„	128, 12 — 15	<i>es producta fin. nom. e. q. s.</i>
		142, 3 — 7	<i>quies</i>
70, 19 — 70, 24	„	140, 19 — 141, 5	<i>pubes</i>
71, 2 — 71, 11	„	146, 6, 7	<i>Pataui</i>
71, 20 — 71, 26	„	146, 3 — 9	<i>tergum</i>
73, 12 — 73, 16	„	125, 3 — 8	<i>comphuria</i>
83, 3 — 83, 7	„	134, 12 — 135, 2	<i>iteris</i>
83, 30 — 84, 4	„	122, 3	<i>Alexander</i>
		128, 1 — 4	<i>Euandrus</i> ]

pag. 85, 11. 12	cf. p. 121, 12. 13	<i>acrem</i>
87, 2 — 87, 5 „	130, 36 — 131, 1	<i>femini</i>
87, 22 — 88, 4 „	131, 19 — 27	<i>gluten</i>
89, 24 — 89, 30 „	132, 27 — 31	<i>Irim</i>
90, 3. 4. „	131, 16 — 18	<i>glis</i>
90, 7 — 90, 10 „	141, 20 — 23	<i>panium</i>
91, 18. 19 „	133, 3. 4 s. titulo	<i>in</i>
93, 18 — 93, 23 „	120, 33 — 121, 5	<i>acribus</i>
93, 24 — 93, 26 „	143, 32. 33	<i>siremps</i>
	145, 31. 32	<i>tabis</i>
95, 22 — 96, 3 „	128, 20 — 129, 2	<i>ficis</i>
100, 9 — 100, 13 „	123, 8 — 10	<i>Arabis</i>
105, 4 „	139, 11 — 12	<i>oscinis</i>
		(cfr. Keili adnotat.)
107, 6 — 107, 8 „	136, 22 — 26	<i>mugil</i>
	120, 8 — 13	<i>Augustas</i>
107, 31. 32 „	143, 30. 31	<i>sinapi</i>
109, 28. 29 „	140, 15. 16	<i>pometu</i>
110, 1. 2 „	142, 3 — 7	<i>quies</i>

Cuius indicis titulos si singulos examinaueris, facile conliges, magnum intercedere discrimen inter eam, quam in XV capite transscribendi rationem Charisius exhibuerit eamque quae in XVII capite obseruetur. In illo enim plerumque tantummodo scriptorum exempla et regulas Romani recepit Palaemonisque obseruationibus propriisque intermiscuit, plurimas illorum comprobans, paucas refutare conatus; in XVII capite autem ad uerbum Romani librum exscripsit.\*) Praeter illa autem

\*) Verumtamen Romanum grammaticum diligentem et doctum magna adliceres iniuria, si omnino omnia quae in capite XVII hodie leguntur, ei adtribueres. Primum enim de nonnullis nominibus ipse Charisius uerba fecit atque ea insulsa uel inepta, praeterea Palaemonis quoque regulis Romani obseruationes emendare et augere conatus est, cuius rei quae adhuc obseruari exempla nunc enumerabo. Quae pag. 137, 30 extant uerba cum eis conspirant quae pag. 64, 17—19 exhibentur; haec autem sicut ea quae pag. 64, 5—16 eis praeposita sunt, Palaemonis esse *uelut* coniunctio quater in eis uersibus repetita prodit. Eodemque modo *hebes* tituli uerba pag. 135, 1—3 exhibita cum eis conueniunt, quae in Palaemonis commentario pag. 28,

quae supra posuimus Charisium e Romano in XV caput transtulisse, multa eiusdem auctoris ei insunt. Etenim ut uno uerbo dicam, omnia quae in eo doctrinam paullo antiquiorem redolent et uestigia eruditionis uberius praeseferunt, in quibus praeter Vergilium ceterosque uulgares scriptores alii quoque commemorantur, Romani sunt. Exoriatur quidem aliquis, qui id minime recte a me statutum esse clamet, cum non adpareat, Charisium praeter illud 'de analogia' caput, quod in XVII capite ad uerbum exscripsit, alias eiusdem Romani de nominum rationibus commentationes in manibus habuisse; inde uero coniciendum esse, eas XV capitis particulas, quae in XVII capite non repetantur, Romani non esse. Quam offensionem tollunt ea, quae

27—29, 7 scripta sunt neque aliena sunt ab eis quae 70, 9—13 reperiuntur; obseruatur autem in eis duplex *uelut* coniunctionis usus. Sic ea quoque quae pag. 135, 10—12 sub titulo *tepus* exponuntur similia eis sunt, quae pag. 74, 9—15 extant, e Palaemonis libro profecta. Praeterea quae s. titulo *supellex* pag. 144, 13—16 et s. tit. *senex* eiusdem paginae uers. 3—5 leguntur, a Palaemone originem ducere Romanique commentario a Charisio immixta esse uidentur, ut ex eis quae pag. 88, 10—15. 24—28 scripta sunt, facile perspicitur. Memorabile denique eiusmodi exemplum sub titulo *habilis* pag. 131, 30 obserues, ubi Romanus haec tantummodo: '*habilis ut agilis*' scripsit, de ablatiuis duplicis formae cogitans, de qua pag. 120, 26. 27 Plini sententiam exhibuerat; quae secuntur uerba ad genetiuum eius nominis casum respiciunt et e Palaemonis commentario, cuius uestigia pag. 88, 29—33 deprehendis, a Charisio Romani obseruationibus addita sunt. Quae non commemorassem, nisi hoc modo adpareret, quomodo factum sit, ut in XVII capite *uelut* coniunctio quater reperiatur: pag. 120, 6. 125, 9. 114, 15. 132, 19: ea enim quae pag. 144, 15 scripta sunt Palaemonis esse supra monui eodemque modo in titulo *aestifer* pag. 120, 4—8 haec 'quia composita sunt nec ut quaedam quasi composita, uelut Euander Teucer, dici debent et interdum e littera carere' eidem grammatico adtribuam, conlatis eis quae pag. 84, 15—24 Palaemon exposuit; in Plinianis uerbis pag. 125, 9. 10 prolatis *uelut* coniunctioni *eius modi* uerba addita sunt; quartum locum, in quo *uelut* pro *ut* positum est, quomodo excusum non habeo, nisi Charisi uel librariorum errore genuinam *ut* scripturam corruptam esse concedis.

pag. 132, 27 sq. scripta sunt Romani uerba: 'Irim pro Iridem Maro Aeneidos VIII

Irim de caelo misit Saturnia Iuno

cum constet omnia Graecae figurae nominatio singulari *is* syllaba terminata genetino singulari syllaba crescere, licet Varro et Tullius et Cincius, ut de consortio casuum diximus, huius Sarapis et huius Isis dixerunt. Cum enim pag. 89, 24 haec legantur: 'Sarapis. Sarapidis uolunt grammatici genetino casu dici non Sarapis, quia omnia nomina Graecae figurae *is* terminata in genetino syllaba crescere debent, ut Iris Iridis, Isis Isidis, Hymnis Hymnidis, Paris Paridis. sed cum et Latine declinari possint non est necesse consuetudinem ratione reformare, praesertim cum adsit auctoritas. nam et Varro de uita sua non tantum huius *Sarapis* declinavit sed et *Isis* quod paulo est durius. sed et Vergilius *Irim* dicit et *Parim* et *Tigrim*' cum inquam haec quae Romani uerbis supra prolatis respondent et quae sine ulla dubitatione e Romano hausit Charisius, in XV capite scripta sint, in eo 'de consortio casuum' commentationis reliquias traditas esse negari nequit. Ceterum cum quisque primo oculorum obtutu quae Romani sint, perspicere possit, singulos XV capitis titulos perlustrare omitto.

Restat, ut tabulam adiciam in qua singulis Charisiani operis capitibus auctorum nomina quibus usus est grammaticus. adscripta reperias. Ea quibus asteriscum adposui dubia sunt.

#### Liber I.

- I—III cap. ex parte prorsus desiderantur ex parte ita mutilata sunt, ut certi quidquam de eis statui nequeat.
- IV „ duo exhibentur commentarii  
a) 11, 9 — 12, 3  
b) 12, 4 — 13, 5.
- V „ item sunt duo  
a) 13, 16 — 14, 9  
b) 14, 10 — 16, 27.
- VI—VIII „ paucis uerbis constant, quorum auctorem inuestigare non licet.
- X „ e Palaemonis libro translatum est, Cominiani observationes paucae immixtae sunt.

- XI cap \* Cominiani, adpersis nonnullis Palaemonis regulis.
- XII „ Palaemonis.
- XIII „ paucos uersus continet, quorum scriptor ignotus est.
- XIV „ duos commentarios continet  
a) Palaemonis  
b) incerti grammatici.
- XV „ Romani et Palaemonis.
- XVI „ duabus constat partibus  
a) incerti grammatici, fortasse Cominiani, paucis uerbis e Romani libro additis  
b) Palaemonis.
- XVII „ Romani.
- XVIII „ a) Cominiani  
b) incerti grammatici.
- XVIII „ unius incerti grammatici commentarium continet.  
Liber II.
- I—V „ definitionibus breuissimis constant.
- VI „ unius incerti grammatici.
- VII „ tribus commentariis constat.
- VIII „ quinque continet commentarios.
- VIII „ Palaemonis.
- X „ Palaemonis et \* Charisi.
- XI „ Cominiani.
- XII „ duos continet commentationes  
a) incerti cuiusdam grammatici  
b) Cominiani.
- XIII „ a) Cominiani  
b) incerti cuiusdam grammatici  
c) Palaemonis  
d) Romani.
- XIV „ a) Cominiani  
b) Palaemonis  
c) Romani.
- XV „ a) Cominiani  
b) Palaemonis  
c) Romani.



- XVI cap. a) Cominiani  
 b) Palaemonis  
 c) Romani.  
 Liber tertius.  
 I—VIII „ Palaemonis.  
 Liber quartus.  
 I „ Cominiani et incerti cuiusdam grammatici.  
 II—V „ Cominiani. [de Saturnio et d. rhythmo cap.: \* Romaui.]  
 Liber quintus.  
 a) Palaemonis  
 b) incerti cuiusdam grammatici.

Quibus expositis luculenter adparet, iure nostro nos stauisse Charisium libros grammaticos quibus nomen suum prefixit, ex aliorum grammaticorum commentariis ita consarcinasse ut ipse raro suo Marte nonnulla uerba adstrueret, et plerumque de singulis aliorum sententiis sibi repugnantibus ne decernere quidem auderet. Iam quae H. Keilius de Cominiano et C. Iulio Romano Charisi auctoribus exposuit pag. XLVII sq. eis quod addam uix habeo: de Palaemone uero aliter quam ille sentio. Censuit enim uir doctissimus hunc Palaemonem, cuius doctrina rioli Charisiani inrigati sunt, illustrissimum esse illum grammaticae doctorem quem Suetonius Tranquillus in libro de grammaticis ep. 23 Tiberio et Claudio imperatoribus floruisse et inter omnes grammaticos Romae illis temporibus professos primum fere locum obtinuisse narrat. Quam contra opinionem grauissima faciunt argumenta. Vt enim uno uerbo id tangam, quod hic Palaemon neque a Charisio neque a Diomede usquam Remmius appellatur, quod casu fortuito factum esse contendas, et uniuersa doctrina sub eius nomine a Charisio tradita et scriptorum maxime copia uel potius inopia, quorum uerba in exemplum prouocantur, luculenter ostendunt, hos commentarios a grammatico quodam non primi sed quarti fere p. Chr. n. saeculi esse profectos. Cuius sententiae uis ut penitus perspiciatur, de grammaticis posterioris aevi latinis pauca monenda uidentur.

Eruditio antiqua scriptorumque ueterum cognitio, Hadriani maxime imperatoris studiis suscitata cum altero p. Chr. n. sae-

culo ad finem uergente paulatim decrecere coepisset, cum fati imperii urgentibus et imperatorum saeuitia et temporum ferocitate tertio saeculo omne artium liberalium studium per longum temporis spatium intermissum sensimque abolitum esset: grammaticae quoque artis studium, cui primorum ordinum uiri operam dare iam diu desierant, in scholarum umbras recessit atque ad mercedem quaestumque deductum liberalem animi oblectationem curare omisit et utilitatem uitae necessariam tantummodo puero- rumque eruditionem respicere incepit. Praeter magistros autem eorumque discipulos cum uix quisquam alius disciplinas coleret ingenuasque tueretur artes, in scholis uero quod et ratio in pueris instituendis suasit et necessitas tulit, cum paucissimi solum scriptores et legerentur et explicarentur, cum librarii in horum libris describendis plerumque requiescerent: ueterum scriptorum codices paulatim rariores facti sunt sensimque interierunt. Quorum summa atque immensa fere copia postquam in exiguum gyrum compulsa est, unbraticorum istorum hominum opera canon quidam, ut ita dicam paucorum scriptorum exortus et stabilitus est, qui per totum medium aeuum a quarto fere p. Chr. n. saeculo in omnibus libris ita regnauit, ut apud eos grammaticos, qui non uetustiorum grammaticorum reliquiis utebantur, praeter illius canonis scriptores, rarissimi laudarentur auctores. Complectitur uero iste canon Vergilium Ciceronem Terentium Horatium Sallustium Persium alios nonnullos. Verum enim uero ut ad Palaemonem reuertar, cum in eis Charisianae artis particulis, quas illi adscripsimus, Vergili Ciceronis Horati Terenti Sallusti (ni fallor Persi quoque pag. 253, 22 et Catulli 252, 26) mentio fiat, eum eadem scriptorum inopia laborasse adparet, quae ei quos supra designauimus grammatici premebantur. Obiciat quidem aliquis, illo argumento nihil effici, cum Remmius Palaemon consulto paucissimorum scriptorum auctoritate uti potuerit, ut pueri ab excellentibus solum optimisque exemplis scribendi leges discerent: esse autem re uera Remmii Palaemonem istorum commentariorum scriptorem, qui si non satis docti uideantur, id eo excusari, quod scholarum usui destinati fuerint. Sed ea excusatio hae in re nullum habet locum. Quamquam enim libenter concedimus, potuisse etiam Tiberi et Claudi temporibus grammaticum tali consilio quale in his Palaemonis libris reperitur librum

componere, tamen id omnino non intellegitur quo modo factum sit, ut Palaemon eis scriptoribus uteretur, qui multo posteriore tempore principem locum nacti sunt: Tiberio enim Claudioque imperatoribus minime tanta fuit eorum auctoritas, ut intellegi possit, quapropter eos ante omnes Palaemon elegerit imitandos. Risum autem re uera mouet, quod is, qui (pag. 233, 12. 20 al.) Vergili uersus laudans nomen non addit sed his uerbis 'ut poeta ait' utitur, Remmius Palaemon esse dicitur. Neque desunt alia argumenta quibus Remmii Palaemonem commentariorum illorum scriptorem non esse adparet. Suetonius enim Tranquillus l. l. narrat, eum hominem omnibus uitiis ita infamem, ut Tiberius et Claudius palam praedicarent nemini minus institutionem puero- rum uel iuuenum committendam esse, principem locum inter grammaticos tenuisse eo maxime argumento, quod homines cum memoria rerum tum facilitate sermonis cepisset. Quo modo quaeso haec conspirant cum Palaemonis Charisiani commentariis adhuc superstibus? ubinam locorum illa mirifica rerum memoria eminet? num in uersibus uolgarium scriptorum istis paucissimis adparet? hic Palaemon si immensa rerum memoria ceteros illius temporis grammaticos superasse dicitur, quid denique memoriae his fuerit scire uelim. Haec igitur quae apud Charisium extat praeclara doctrina illa est, qua fretus Varrones porcos adpellare ausus est, cui confusus secum et natas et morituras litteras iactabat; hic est ille inlustrissimus grammaticus, qui gloriabatur, latrones quondam sibi propter nominis celebritatem parsisse, qui persuasum habebat, nomen suum in Bucolicis non tenere positum, sed praesagante Vergilio, fore quandoque omnium poetarum ac poematum iudicem! hic denique, ut praeter Suetonium alterum praeclarum eius laudatorem commemorem, hic est ille grammaticus, quem Quintilianus cum Aristarchis comparat! Neue uero clames, Charisianos commentarios excerptos esse ex eius libris doctissimis, ab homine rudi misere mutilatos et dilaceratos: Charisiani Palaemonis commentarii non praese ferunt excerptorum speciem imaginemque, atque si qua laude digni sunt, propter disserendi artem laudentur. —

Argumentis quae in uniuersum ualent facile adduntur ea, quae in singulis locis obseruantur. In particula 'de aduerbio' commentationis illa, quae pag. 188, 9—19 reperitur. *Berytus* et

*Sidon* urbium nomina uerbi causa proferuntur. Quorum exemplorum auctor sine ulla dubitatione Valerius Probus Berytius fuit uel quidam discipulus eius. Remmius autem Palaemon, qui eius commentationis scriptor habetur, aetate multo maior fuit quam Valerius Probus. Alterum exemplum ut adferam, in Palaemonis dissertatiuncula quae 'de coniunctione' inscripta est, pag. 225 Plini fit memoria hisce uerbis: 'relatiuae (sunt coniunctiones) ad aliquid ut Plinius ait, siue comparatiuae hae, *magis*, *potius*, *immo*, in hunc modum: 'hic eat, immo ille uel potius ille'. idem ait Plinius potestatem habere comparandi *tam quam*; sed haec aduerbia uidentur magis similitudinis, ut 'tam quam bonus amicus' et 'tam ille quam hic' . . sane et habet comparandi potestatem *quam*, ubi dicitur *ante quam* et *melius quam*: subiendi, quas Palaemon expletinas ait e. q. s.' Etenim Remmius Palaemon cum a Suetonio Tranquillo l. l. Tiberio et Claudio imperatoribus floruisse tradatur, atque eo tempore quippe qui antea mulieris uerna *textrinam* egisset et sero litteras didicisset, longius aetate prouectum fuisse uideatur, ueri non est simile eum post illud tempus, quo Plinius dubii sermonis libros edidit, i. e. post 820 a. u. e. artem grammaticam scripsisse; quod tamen statuere debes, si illa uerba a Remmio profecta esse concedis. Praeterea autem Plinius in praefatione h. n. librorum l. s. s. narrat, parturire grammaticos contra libellos quos de grammatica ediderit iam per decem annos; quibus e uerbis nondum editos fuisse eorum libros illo tempore elucet. Si uero iam tunc Remmius, praeclarissimus grammaticus, qui inter ceteros principem Romae tenuit locum, librum suum, in quo Plini doctrinas refutare conatus esse dicitur, ediderat, qua de causa 'parturire grammaticos' dicit ille? igitur tunc nondum librum illum ediderat Palaemon. sed eundem ut mortuom commemorat Plinius h. n. lib. XIV § 49. 50. \*) Has angustias nullo modo tolles, nisi Palaemonem Charisianum statueris diuersum esse ab Remmio Palaemone. \*\*)

\*) Haec praese ceteris uerba 'Haec adgressus excolere non uirtute animi sed uanitate primo, quae nota mire in illo *fuit*' mortuom eum illo tempore fuisse demonstrant.

\*\*) De Charisi loco quem supra exhibui pauca uerba addere liceat. Verba ista: 'quas Palaemon expletinas ait' ostendunt, Charisium eo

Quae cum ita sint, de Remmio Palaemone, Charisi auctore cogitare prudenter mittamus, id potius inquiramus an forte alterius Palaemonis mentio fiat apud scriptores posterioris aeni. Occurrit Sidoni Apollinaris epistola libri V decima, ad Sapandum quendam missa, in qua haec extant: 'Tua uero tam clara tam spectabilis dictio est, ut illi diuisio Palaemonis, grauitas Gallionis, abundantia Delphidii, Agroecii disciplina, fortitudo Aleimi, Adelphii tenerido, rigor Magni, dulcedo Victorii non modo non superiora sed nix aequiparabilia scribantur.' — Scriptores quorum nomina eis uerbis exhibentur quod adinet, id sane memoria dignissimum est, quod plerique professores fuerunt Burdigalenses, Ausoni carminibus celebrati: Delphidius enim laudatur carmine V d. prof. Burd., Agroecius \*) c. XIV, Aleimus \*\*) c. II, Magnus c. XVI, \*\*\*) Victorinus c. XXII: ad Adelphium ni fallor ea spectant, quae Dexter ad annum 380 p. Chr. n. exhibet: 'Adelphus rhetoricae praeceptor Carensibus datus in Hispania litterarum in-

loco Palaemonis uerbis quaedam suo Marte adpersisse: itaque contendat aliquis, Plini memoriam non a Palaemone factam esse sed a Charisio ipso. Refutatur haec opinio eo, quod Diomedes pag. 416 eadem fere de Plinio dicit, unde adparet, illa e Palaemone sumpsisse Charisium. Huic igitur haec solum uerba quae apud Diomedem non extant adtribuenda sunt: 'sane et habet comparandi nim . . . melius quam'.

\*) De Agroecio (uel Agrycio) disputauit Osannus in commentatione quae inseritur 'de Flauio Capro et Agroecio grammaticis' pag. 4. Plenum eius nomen tradunt codices Ausoni: 'Censorius Atticus Agrycius'.

\*\*) 'Latinus Aleimus Alethius rhetor' diuersus est ab Aleimo Ecdicio Auito poeta, de quo cfr. Fabric. bibl. lat. IV, 2 et bibl. med. et infim. aet. pag. 53 ed. Patau. Arcualus ad Sedul. pag. 47 sq. Ad eundem Aleimum spectare uidentur, quae extant ap. Sidon. ep. XI libri VIII.

\*\*\*) Aemilius Magnus Arborius. Ad hunc Magnum spectant ni fallor ea, quae apud Ausonium extant (ed. Parisinae pag. 825):

Nos ad grammaticae studium conuertimus et mox  
Rhetorices etiam quod satis adtigimus.

Nec fora non celebrata mihi: sed cura docendi  
Cultior et nomen grammatici merui.

Non tam grande quidem quo gloria nostra subiret  
Aemilium aut Scaurum Berythiumque Probum.

genii et eloquentiae laude clarus?\*) De Gallione nihil comper-  
tum habeo.\*\*\*) Sed cum inter octo scriptores a Sidonio com-  
memoratos sex quarto uel quinto etiam saeculo uixisse constet, quis  
est qui credat, Palaemonem illum Remmum esse primi saeculi  
grammaticum?

Alterum igitur Palaemonem fuisse, artem rhetoricam quarto  
fere p. Chr. n. saeculo professum nemo negabit. Cum autem eis  
temporibus rhetoricae et grammaticae studium tam arecte coniunc-  
tum fuisse constet, ut saepius idem uir utriusque artis magister  
esset, sicut Ausonius l. s. s. de se ipse profitetur, atque cum inter  
illos rhetores a Sidonio laudatos Adelphius quoque enumeretur,  
quem arti grammaticae operam nauasse scimus, a similitudine  
ueri non prorsus abhorret, quod conicimus, Palaemonem rhetorem  
a Sidonio celebratum eundem esse cuius grammaticum librum  
Charisius exscripserit. Confirmatur autem maxime haec senten-  
tia eo, quod Sidonius in Palaemone suo diuisionis artem lau-  
dibus tollit, atque Charisiani grammatici reliquiae eadem laude  
prae aliis libris dignissimae sunt. Quae cum ita sint, non a uero  
aberrare uidemur statuente, Palaemonem Charisianum quarti  
fere saeculi grammaticum fuisse, qui in Gallia \*\*\*) magna cum  
gloria professus sit.†)

Palaemon utrum uno libro totam grammaticam doctrinam  
complexus sit an in plures diuiserit, non constat. In plures eum

\*) Errant, qui in Sidonianis uerbis de Adelphio proconsule  
Probae marito, cuius Isidorus praeter alios mentionem facit d. scriptor.  
eccles. cap. V siue de Adelphio episcopo (cfr. Dexter ad a. 382 p.  
Chr. n.) cogitarunt: rhetores enim enumerare Sidonium adparet.

\*\*) Ni fallor pro 'Gallionis' apud Sidonium scribendum est 'Glabrio-  
nis' quem Ausonius laudat prof. Burdig. carm. XXVIII.

\*\*\*) In Gallia eum uixisse puto quia non solum Sidonius ipse sed  
quos enumerat scriptores, quoad inuestigare licet, omnes in Gallia  
uixerunt.

†) Quae apud Putschium extat 'Rhemii Palaemonis Vicentini  
ars' et Rhemmio indigna et a Charisiani Palaemonis arte aliena  
est, sed ut uno uerbo id tangam nonnullis locis cum eis conuenit  
quae Cominianus exponit apud Charisium. Certum de ea iudicium  
ferre non prius licebit, quam H. Keili uicini grammaticorum lati-  
norum procuratoris opera exemplaria satis conrecta nanciscamur.



illam non dinisisse ut statuas illud suadet, quod Charisius, qui Romani verbis quotiens utitur, addere solet, quo ex capite singula hauserit, nunquam in Palaemonis arte exscribenda eam rationem secutus est: idem cadit in Cominiani artem.

Eis, quae H. Keilius pag. XLVI de Romano exposuit, hoc addo, mihi non persuasum esse, artem eum perfectam scripsisse, cum et titulus libri, singularis capitum diuisio et ea ratio, qua copiae obseruationum ad litteras enumerantur, suspicionem moueant, eius librum non prorsus dissimilem fuisse 'Noni Marcelli de compendiosa doctrina' libro.

### III

C. Iulius Romanus quos auctores in capite de analogia secutus sit, facillime inde conligitur, quod in septuaginta tribus locis Plini nomen profertur; praeter eum Flauius Caper, Helenius Aeron,\*) Asper, Terentius Scaurus ter quaterne tantum laudantur.\*\*)

\*) Helenius Aeron praeclarissimus Horati idemque Terenti scholiasta quo saeculo uixerit, cum multis uiderim adhuc disputare, paucis uerbis ea de quaestione quid statuendum sit exponam. C. Iulium Romanum initio tertii p. Chr. n. saeculi uitam degisse cum plurimis argumentis probetur, Heleni Aeronis auctoritas autem a Iulio Romano tredecim locis in medium uocetur (ubi enim nomen eius in arte Charisiana scriptum est, Romani uerba exhibet Charisius) pag. 129, 12, 20, 126, 17, 130, 12, 192, 30, 197, 25, 200, 16, 201, 3, 210, 11, 15, 216, 9, 219, 5, 229, 23; ante Romanum uixisse Helenium adparet: atque cum neque a Gellio neque a ceteris saeculi alterius scriptoribus commemoretur, non simile ueri est, eum multo ante Romanum uixisse, qua de causa eum in fine fere saeculi alterius uitam degisse maxime est probabile.

\*\*) Capri mentio fit hisce locis: pag. 132, 6, 145, 20, 23; Aeronis 119, 12, 20, 126, 17, 130, 12; Asperi 140, 3; Terenti Scauri 133, 1 et 136, 36. Typothetae ni fallor errore factum est, ut in indice nominum Keiliano ea quoque quae pag. 146, 36 M. Aemili Scauri oratoris uerba extant Terentio Scauro adtribuerentur. Ceterum tres illi loci, in quibus Terenti Scauri mentio fit, ad pronomina, non ad nomina spectant. — Ea quae de Verri, Varronis, Caesaris obseruationibus regulisque exponuntur, Romanus non ex ipsis eorum libris hausit, sed Plinio maxime et Capro et Aspro debet.

Vt autem penitus perspiciatur, quatenus Plinianis copiis usus sit, et quae eis debuerit, eas quae in capite XVII extant Plinianae reliquias accuratius inlustremus necesse est. Inter tres enim et septuaginta titulos in quibus Plini nomen profertur unus et uiginti sunt, ubi Plini uerba aut his 'libro sexto' aut illis 'eodem libro sexto' additis, redduntur; octiens praeterea haec 'Plinius eodem libro' inscriptio reperitur. Verum enim uero cum octo locis, in quibus uel hoc 'eodem libro' uel illud 'eodem libro VI' scriptum est, tituli antecedant, in quibus Plini nomen solum, libri numero non commemorato, extat, atque cum praeter sextum librum nullus alius liber citetur omnesque tituli in quibus Plini mentio fit, ad eandem artis grammaticae partem de ultimis uerborum syllabis et declinationibus eorum pertineant: omnes Plinianae doctrinae, quae in XVII capite Charisi reperiantur, reliquias ex uo eodemque sexto libro sumptas esse concludimus. \*) Tractauit autem Plinius in eo libro totam de declinationibus doctrinam, id quod singulos perlustrans titulos facile intelleges.

Multo implicatior est quaestio de consilio atque ordine, quo Plinius singula exposuerit. Nimirum cum 'dubii sermonis' titulo libros grammaticos suos inscripserit, facile nasci posset suspicio, singulas eum uoces quae dubiae esse uidebantur conlectas, aut per litteras distributas enumerasse aut eo quem Nonium modum quibusdam in capitibus instituisse constat, nullo certo ordine adhibito explicasse. Quae opinio a uero mirum quantum abhorret. C. enim Iulius Romanus cum singula nomina per litteras persecutus, sub *a* littera octodecimi in titulis Pliniano libro se usum esse adfirmet, hunc ordinem secutus est:

utrum *amicities* an *amicitia* dicendum sit  
 utrum *Amazon* an *Amazo*  
 utrum *autummal* an *autummale*  
 utrum *aqualium* an *aquarium*  
 utrum *animal* an *animale*

\*) Unus tantum Plinianus titulus extat, qui ad argumentum a ceteris diuersum spectat; in quo pag. 118, 33 disseritur, utrum *aqualium* an potius *aquarium* dici debeat. Hunc autem titulum in libro VI positum esse ex praecedentibus uerbis adparet, quae Romanus sexto libro adtribuit et quibus eum hic titulus aetissimo uinculo coniunctus est.

utrum *aestifer* an *aestiferus*  
 utrum *Kal. Augustas* an *Kal. Augustarum*  
 utrum *aedile* an *aedili*  
 utrum *agile* an *agili*  
 utrum *agreste* an *agresti*  
 utrum *auxiliare* an *auxiliari*  
 utrum *Aureli* an *Aureli*  
 utrum *amanium* an *amanion* \*)  
 utrum *aplustre* an *aplustri*  
 utrum in *e* an in *i* finiuntur nominum in *ar* termina-  
 torum ablatini singularis  
 utrum *amni* an *amne*  
 utrum *aenigmatis* an *aenigmatibus*  
 utrum *Arabis* an *Arabibus*.

Quo in indice unusquisque statim animadvertit, hos titulos *amicities Amazon autumnal aquarium animal aestifer* ad nominati-  
 onem casum numeri singularis, illum *Augustas* qui eos sequatur, ad genetiivum singularis, eos, qui ab hoc excipiuntur *aedile agile*  
*agreste auxiliare* 'nomina in *ar* finita' *amni* ad ablativum sing. spe-  
 ctare; qui sequuntur ultimi *aenigmatis* et *Arabis* de formis dativi vel  
 ablativi pluralis disserunt. Ordinem igitur ad casus singulos in-  
 stitutum duo tantummodo *Aureli* et *amanium* tituli interrumpunt,  
 quod aut Romani inconstantia aut Charisi vel libroriorum errori  
 adtribuas. Casu autem eum ordinem exortum esse cum propter  
 magnum titulorum numerum statui nequeat, a Romano ipso au-  
 tem eum non profectum esse ex eo adpareat, quod in Plinianiis  
 tantum titulis observatur, non in omnibus: iure optimo conclu-  
 dimus, Plinium in VI libro eum ordinem, quem supra exposuimus  
 casuum, secutum esse, Romanum autem singula eius libri capita  
 oculis percurrentem quae nomina a littera incipientia repperit  
 ex ordine transtulisse in suum commentarium.

Verum enim vero grammaticus longius procedens eundem  
 ordinem excerptivae rationem non servavit, quam nimis mole-  
 stam ei fuisse maxime inde intellegitur, quod sub ceteris lit-

\*) Haec paucis in titulis eodem modo quo in hoc, ipsa regula  
 Pliniana non traditur, sed eorum scriptorum verba, qui contra con-  
 suetudinem formas quasdam finxerunt, in exemplum vocantur.

teris multo pauciores e Plinio transgressit observationes atque  
 omnino nulla sub littera tot quot sub a littera exempla exprom-  
 psit. Nihil secius quod supra diximus ex ordine illo colligi, qua  
 via Plinius in libro VI componendo processerit, id etiam ex eo  
 ordine quem nomina aliis litteris incipientia secuntur, elucet:  
 Plinium enim secundum casuum ordinem singula nomina de  
 quibus dubitari videret enumerasse, inde adparet, quod ubi-  
 que fere apud Romanum ea, quae ad eundem casum spectant  
 Pliniana exempla non singulariter posita sed coniuncta inter se  
 et consociata reperiuntur. Ceterum his observationibus illud qui-  
 dem luculenter demonstratur, Romano nominum catalogum con-  
 ficienti Plini librum VI reapse ante oculos versatum esse atque  
 totius, quam tradidit doctrinae fundamentum et fontem fuisse.

Atque ea observatione nix longius nobis progredi licebit.  
 Cum enim eis quos ex Plinianis scriniis mutuatum se esse ipse  
 adfirmat Romanus titulis haud pauci, quorum auctor non nomina-  
 tur, arctissime coniuncti sint, cum praeterea Romani liber hodie  
 valde mutilatus mendisque grauissimis refertus sit, facile exo-  
 ritur suspicio, inter eos etiam titulos quibus Plini nomen non ad-  
 scriptum est haud paucos esse Plinianos. Confirmatur autem haec  
 coniectura eo quod conpluribus in titulis in quibus Plini mentio fit,  
 siue haec 'ut idem Plinius' siue illa 'ut Plinius in eodem libro'  
 verba extant, quamquam tres quattuorve uel plures etiam tituli  
 praecedunt, in quibus Plini nomen non legitur. Altera ex parte  
 quominus summam omnium quae a Romano proferuntur obser-  
 nationum, Plinio adtribuas impediunt ei tituli, quamvis perpauci  
 in quibus aliorum grammaticorum auctoritas laudatur. Quae cum  
 ita sint, paullo accuratius in singulos titulos inquiramus ne-  
 cesse est.

Atque primum omnes eae observationes quae ad ablativum  
 casum sing. num. tertiae declinationis spectant, Plinianae sunt.  
 Extant enim pag. 121, 15 haec verba: 'Ablativos casus per omne  
 specimen et quidem quando *i* quando *e* terminari debeant *colle-  
 ctos exceperimus*.' — Ita enim rectissime H. Keilii restituit lacu-  
 nosam codicis scripturam, quae haec est: 'coll . . . . . pimus',  
 cum quod in editione principe 'colligimus' scriptum est, a lit-  
 terarum numero reiectaneum sit, eodemque modo Fabrici conie-  
 ctura 'collegimus in superioribus' a similitudine veri omnino ab-

horreat. Verumtamen verba ista ea qua nunc proferuntur ratione ferri nequeunt. Primum enim non perspicitur, quo consilio Romanus ea adposuerit observationibus, quippe qui in uniuersum omnia nomina, quorum de declinationibus non constaret, conligere in animo habuit, ita ut idem consilium eum in dubiis ablatini casus formis sequi per se consentaneum sit; eodemque modo non intellegitur, quapropter ea uerba tituli instar observationibus singulis tam uuda immiserit; praeterea quod grauissimum duco argumentum nomen scriptoris cuius e libro singula nomina ad litteras 'collecta exceperit' adderetur necesse fuit, ut perfecta et sana procederet sententia, alioqui enim prorsus languida et superuacanea sunt ea uerba. Quae cum ita sint, mendosum et lacunosum esse eum locum negari nequit: atque lenissima ni fallor medela sanari potest, e praecedentibus uerbis petenda, quae haec sunt in codice: 'Aux . . . . . ab h. auxiliare homine ut idem Plin. . . . .' quae H. Keilius hoc modo restituere conatus est: 'Auxiliare per e ab hoc auxiliare homine ut idem Plinius eodem libro.' atque haec Charisium scripsisse maxime simile est ueri; Romanum autem censeo haec protulisse: 'Auxiliare per e, ab hoc Auxiliare de \*) homine, ut idem Plinius eodem libro, unde ablatiuos casus per omne specimen et quidem quando i quando e terminari debeant collectos exceperimus.' Constabitur autem haec coniectura primum eo, quod in nullo in quo de ablatiuo casu tertiae declinationis disseritur titulo, alterius praeter Plinium grammatici mentio fit. Praeterea omnes eius generis titulos ut Plinianos habeamus id maxime suadet, quod non singuli sed plures uno tenore enumerari solent. Sic *annalei* titulus inter Plinianos ad eandem quaestionem spectantes positus et arete cum eis coniunctus est; sic *Astyanacte Aiax alacer* tituli uerba ista 'ablatiuos casus e. q. s.' de quibus supra disseruimus, statim secuntur; sic *qui* titulum pag. 122, 23 extantem *amni* titulus Plinianus comitatur; sic *contubernale ceriale consulari coniuge cicatrice celere celebre*

\*) Sic enim non solum hoc loco sed etiam pag. 127, 26 'Egente ab hoc Egente de homine; ab hac egenti re' Romanum scripsisse ei qui ceteros de ablatiuo casu nominum adiectiuorum titulos examinauerit, dubium esse nequit: rectissime uero H. Keilius in exemplari Charisiano codicis scripturam retinuit, quippe qui Charisium ipsum emendare noluerit.

tituli uno tenore enumerantur eamque ob causam Pliniani existimandi sunt; sic *continenti* et *candenti* tituli a *constante* titulo excipiuntur, qui Plinianus est eodemque quo illi modo ad ablatiuo casus formam nominum in *us* finitorum spectat, unde iure conligas, eos ex uno eodemque Pliniani libri loco traductos esse; sic *dapsile duumirali decemuirali* tituli *duplex* titulum secuntur, sic *facile familiare forte fragili felice face* tituli se excipiunt, sic etiam illi: *iuuenale iulare innocente inpotente insequenti* tituli, uno *Ibes* titulo in quo de nominatiui pluralis forma disseritur, a librariis ni fallor interposito; sic *natale nobili nauali* tituli eodem loco positi sunt; sic *rude* titulum (pag. 143, 1) Plinianum hi: *salutare sodale saeculare* tituli excipiunt; sic denique hi: *uitale uile uestale uenali ueloc* tituli uno tenore se excipiunt, quorum in numero unus 'uenali' Plini nomen exhibet, quos omnes ex eius libro VI collectos esse uel hic ipse ordo demonstrat.

Atque haec quidem in omnes titulos in quibus de ablatiuo casu agitur, ualent; alia argumenta, quibus Plinianos eos esse confirmes, reperies, si singulos perlustrabis titulos. Sic *humile* titulus e Plini libro transcriptus esse hoc argumento arguitur, quod in eo Pomponi Secundi uerba quaedam exempli gratia ceferuntur, cuius scriptoris nomen in tota Charisiana arte nusquam alibi legitur, nisi in duobus locis, in quibus se *Plinianis* copias usum esse Romanus dicit pag. 137, 23 sub titulo *monteis* et pag. 125, 23 s. t. *celarius*. Eodemque modo Pliniana esse ea demonstrantur, quae s. t. *patrucele* extant; commemorantur enim in eis Corneli Nepotis 'inlustrorum uirorum' libri, qui paulo post sub *partum* titulo in Plinianis uerbis denuo occurrunt; tertio autem loco pag. 220, 12 in capite de aduerbiis, in quo Romanum Plini libris usum non esse constat, Corneli Nepotis 'de inlustris uiris' libri citantur, ita ut hoc ipsum inscriptionum discrimen illos titulos ab uno eodemque scriptore ab tertii loci auctore diuerso profectos esse docere uideatur. Simili modo *continenti* titulum Plinianum esse etiam inde conligitur, quod in eo Varronis uerba e libris de gente populi Romani adferuntur, qui libri his praeterea locis capitis XVII citantur: 128, 27 s. t. *ficus* \*) pag. 130, 5 s. t.

\*) Varronis exemplum s. t. *ficus* a Plinio profectum esse, ostendit 'itaque' illud, quod pag. 128, 30 legitur.

*fagus* pag. 137, 12 s. t. *mare*, quorum in primo et ultimo Varronem a Plinio laudari e Romani uerbis adparet; in altero uero Plini observationem tradi ex eo quod id exemplum s. *feus* titulo commemoratur, iure concluditur.

Quibus argumentis omnibus nisi fallimur, luculenter ostenditur, Romanum exempla ablatiui casus numeri singularis e Plini libro VI transtulisse. Ceterum caueas, ne putes, uerba Pliniana in singulis titulis reddi; quod factum esse omnino nequit. Cum enim ex eis quae supra de Plini libro sexto exposuimus adpareat, eum in singulis capitibus de eis nominibus quorum aut genetiuis sing. numeri, aut datiuus aut ablatiuus casus dubius fuit, singillatim disseruisse, atque eum uideamus eum non de singulis nominibus solum sed de eorum classibus quoque (sicut de nominibus in *ar* finitis) disputasse: ea eius libri ratio ac species fuerit necesse est, ut ab initio cuiuscunque capituli regula quaedam in uniuersum ualens et analogiae lex statueretur, deinde singulae nominum classes recenserentur, eis denique quae Plinius nomina singula dubiarum uel duplicium formarum conlegerat, adiungerentur. Quem ordinem cum Romanus non sequeretur, quippe qui secundum litteras singula nomina enumeret, saepissime in singulis titulis regulas et normas, quas singula nomina sequi deberent, repetiit eandemque dicendi legem bis terue diuersis sub titulis exhibuit, uim atque rationem Pliniani iudicii, non uerba retinens. Itaque exempla scriptorum tantummodo et doctrinam ex eius libris traduxit. Nihil secius Plinianarum reliquiarum confectioni ei inserendi sunt.

Vt finem faciam de eis titulis disserendi, non neglegendum uidetur, duos inter eos esse, qui a Plinio non profecti sunt, qui pag. 120, 24. 25 de *au* forma et pag. 142, 8. 9 de *rudi* ablatiuo scripti sunt; uterque enim a Pliniana doctrina abhorret; priorem quod adinet, ipse Plinius s. t. *anni* dicendum esse *au* enuntiat atque in praecedente titulo Cicronem de auguriis 'omnibus *au* incerta' scripsisse ut singulare aliquid notare uidetur; quae in altero de *rule* forma dicuntur inepta sunt, quod *rudi* formam tunc etiam probasset Plinius si de persona loqueretur.

Iam eos accedamus titulos, in quibus de nominibus quibusdam exponitur, quorum accusatiui casus pluralis formae dubiae sunt; inquiritur enim utrum in *eis* an in *es* terminanda sint. Quorum

titulorum hinc teste Romano Pliniani sunt: *fonteis fuceis facilio-reis monteis maioreis conpluria* (*plureis*); praeterea hi reperiuntur: *ferocioreis ferienteis omnes* tituli; quorum priores cum inter Plinianos positi sint, qui ad eandem quaestionem spectant, dubitari nequit quin e Plinio tranlati sint; nomen enim Romanus omisit, quia non doctrinam eius commemorauit sed Aeli Stilonis sententiam tantum ex eius libro transcripsit; ultimus autem ex parte Plinianus est, ut *monteis* titulo conlato adparet; ea quae post alterum Sallusti exemplum exhibentur uerba, Romani esse unusquisque sua sponte intellegit.

Arcissime porro cum eis praeceptis, quae de accusatiui casus plur. u. formis in *eis* finiendis Plinius statuit, ea regula coniuncta est, qua quando in *um* quando in *ium* genetiuis pluralis terminandus sit, exposuit: atque inter eos titulos, qui ad hanc quaestionem pertinent, hinc Pliniani sunt: *amanium ceruicium conpluria* (plurum) *murum Martum mugilum, de nominibus 'ns' litteris finitis, pacium, partum, retium*; praeterea de eadem re disserunt hi: *cicatricum ciuitatum felicium ferentium panium radicum turum*, quorum hi *cicatricum panium radicum* Plinio uel ex eo argumento probabiliter adtribuendi uidentur, quod eos aut praecedunt aut secuntur tituli Pliniani ad eandem quaestionem spectantes. praeterea ea quae de *ferentium* forma dicuntur, in eodem titulo extant, in quo de *ferienteis* accusatiui forma disseritur, quem Plinianum esse supra diximus. Deinde exempla, quae *radicum* formae exhibentur, e Plinio hausta esse ostendunt ea, quae Plinius s. t. *ceruicium* exponit; *ciuitatum* titulum eius esse ex eo adparet, quod in eo decimus liber Cornutiani in Vergilium commentarii laudatur: is enim in tota Charisi arte praeterea semel solum extat s. t. *Didum* qui teste Romano Plinianus est. Simili modo *panium* titulum ei adscribas, primum quia in eo Verris et Caesaris doctrinae comparantur sicut sub *diligente* titulo qui Plinianus est; deinde quod omnes ei tituli in quibus Caesaris librorum mentio fit, e Plinio tranlati uidentur; quod paucis uerbis demonstrare liceat. Caesaris nomen his locis extat: 119, 5 s. t. *animal*; 122, 14 *aphustre*; 122, 16 *de nominibus in ar finitis*; 122, 30 *anni*; 133, 18 *ubare*; 130, 6 *fagus*; 135, 23 *lacer*; 141, 24 *partum*; 141, 20 *panium*; 143, 33 *siremps*; 145, 1 *turbo*; 126, 10 *diligente*. quorum in ultimo epistolae ad Cicronem, in ceteris libri de analogia laudantur; in

illo Plini nomen a Romano adfertur eodemque modo inter undecim ceteros in his septem: *animal*\*) *aplustre* 'de nom. in ar finitis' anni *ubare partum turbo* Plini nomen additur. Caesaris memoriam s. t. *fagus* factam esse a Plinio, iam supra monuimus; *lucer* titulum Plinio adscribam, quod in eo Valgi sententia quaedam profertur, qui pag. 143, 25 s. t. *Saturnalia* in Plini verbis commemoratur. Ceterum in illo loco Plini ipsum nomen restituendum esse uidetur. Cum enim in codice haec extant: 'quod ita dici . . . . . Caesar de analogia lib. II nec n. et Valgius de reb. per epistolā q̄s. . . . . ntant' ea quae H. Keilius scripsit 'quod ita dici debere et Caesar de analog. I. II nec non et Valgius de rebus per epistolam quaesitis disputant' non placent, quia duplex et illud *nec non* etiam insuper addito superuacaneum uidetur, praesertim in Romani commentario qui si quid uideo nusquam alias duo nomina comparans tam fortibus coniunctionibus usus est. Quapropter ueri simillimum uidetur mihi Romanum haec scripsisse: 'quod ita dici Plinius et Caesar nec non et Valgius de rebus per epistolam quaesitis disputant.'\*\*) Atque cum hoc modo constet, decem inter duodecim titulos in quibus Caesaris mentio fit, a Plinio profectos esse, undecimum *panium* et duodecimum *siremps* Plinio Romanum debere nemo negabit, praesertim cum *panium* titulus inter *partum* et *pacium* titulos positus sit, qui Pliniani sunt et ad eandem quaestionem de genetiui pluralis finitione pertinent.

\*) Miras in hoc titulo obserues turbas: ea enim quae ab initio posita sunt uerba ad ablatiuom singularem, ea quae secuntur ad nominatiuom eiusdem numeri pertinent Plinique exhibent sententiam. Sequitur denique Caesaris de *ablatiuo* sing. doctrina. Hanc uero e Plinio sumptam esse a Romano inde adparet, quod ea ad *aplustre* titulum respicit, quem Plinio deberi Romani testimonio constat.

\*\*) Vngerus de Valgi Rufi poemat. pag. 80 coniecit, omnia Valgi exempla apud Charisium exhibita e Plinio hausta esse; cfr. 143, 25. 102, 10 s. t. *lactis*, 108, 7. 28. Atque primum quod adinet locum, recte eum iudicasse dubium non est; alterum e Plinio haustum esse, suadet id argumentum, quod in eo titulo pag. 102, 10 Trogi de animalibus libri laudantur, quorum in Charisio mentio non fit uno titulo *murum* excepto (pag. 137, 10) qui Plinianus est: de tertio et quarto certi quidquam eruere mihi non contigit.

Restat ut de *felicium* et *turum*, titulis disseram: quorum prior sine ulla dubitatione non est Plinianus, quippe qui a regula ab illo statuta abhorreat; de altero dubitare possis, sed quoniam argumento certo destituti sumus, Plini relliquis eum non inserendum esse censeo.

Plinium cum de genetiui casu pluralis numeri exponeret, de eis quoque nominibus disseruisse, de quibus utrum in *rum* an in *um* terminandae essent, dubitabatur, hi docent tituli: *fabrum glossemata Saturnalia*; eandem praeterea quaestionem respiciunt hi: *duum digitum poematorum uectigaliorum*, quorum primus a Plinio non profectus est sed Helenio Acroni adscribendus uidetur, quem de *duo* et *ambo* nominibus pluribus uerbis disputasse ex *ambos* et *duo* titulis pag. 119, 9—120, 3 et 126, 13—19 extantibus adparet;\*) ceteri uero Pliniani sunt existumandi: alter enim arctissimo cum eo, qui pag. 56, 5—7 (cfr. Keili 'addenda') extat, cohaeret neque ueri simile est, Plinium, quem de eis primae declinationis nominibus quae genetiui casum pluralis numeri in *um* formant, non in *rum*, disseruisse constat, qui praeterea alias Varronianae dictionis diligentissimus censor est, Varronianam *digitum* formam silentio praeteriisse. Idem argumentum ualet in *poematorum*\*\*) titulum, quem e Plinio exscripsisse Romanum id quoque suadet quod in eo Varronis de lingua latina ad Ciceronem libri commemorantur, quos in XVII capite praeterea his locis pag. 139, 15 s. t. *ozo*, pag. 131, 17 s. t. *gil* et bis pag. 142, 20. 21 \*\*\*) citat grammaticus Plini auctoritatem laudans. Eodem denique modo *uectigaliorum* titulum Plinio

\*) Ni fallor etiam *duum* titulus qui pag. 127, 3—7 scriptus est eidem Acroni adtribuendus est, de quo alio loco disseram: ea uero sententia si comprobata erit, de tempore quo Helenius nixerit, certissimum ferri poterit iudicium. Cfr. ea, quae supra de eo exposui.

\*\*) *Caucas* ne putes, eas quae pag. 56, 12—17 et s. titulis *aenigmatibus glossematis poematorum* Varronis sententiae proferuntur, sibi non respondere, qua de re alio loco disseram.

\*\*\*) Vtrumque Varronianae dictionis exemplum Plinio debet Romanus: alteri uero solum illud 'laudat Plinius' addidit propter singularem eius exempli rationem.



adscribo, quod in eo uerba Rutili eferuntur, cuius memoria alias in Plinianis titulis fit: cfr. 125, 11. 120, 17. 139, 18. 130, 18.\*)

Vt finem faciam in titulis qui in XVII capite Pliniani uideantur enumerandis, ei, in quibus de nominibus in *er* non in *is* in casu nominatiuo terminandis disseritur Plinio adtribuendi sunt: sunt autem haec: *imber lucret later* quorum in primo Plinius nominatur, alterum eiusdem esse iam supra diximus, tertium ei adscribo quod hunc praecedat, eandemque quam is exhibet regulam.

In sexto et decimo capite uno solum loco Plinius commemoratur, in quo (pag. 114, 2) non *alucret* sed *alacris* nominatiuum sing. pronuntiandum esse praescripsisse dicitur: atque in hoc quoque loco sextus dubii sermonis liber laudatur. Debet autem eius memoriam Charisius Romano sicut omnes quas in primo libro seruauit Plini reliquias. —

Praeterea in XV solum libri I capite Plini mentio fit hisce locis:

- pag. 56, 5 s. t. *amphorum* (cfr. Keili 'Addenda')  
 „ 61, 7 s. t. *mare*  
 „ 53, 17 s. t. *schema*  
 „ 77, 8 s. t. *bulleus*  
 „ 79, 2 s. t. *Lucili*  
 „ 85, 9 s. t. *gibber*  
 „ 88, 16 s. t. *uertex*  
 „ 105, 20 s. t. *pampinus*

quorum in his pag. 53, 17 et 56, 5 liber sextus nominatim adfertur; ex eodem libro ea quoque quae pag. 61, 7 s. t. *mare* extant, hausta esse adparet inde, quod eadem in capite XVII pag. 137, 12—20 leguntur atque ad nominis eius declinationem pertinent; easdem ob causas cum titulum, qui pag. 78, 4—79, 5 de genetiui *Lucilius Aemilius* nominum forma scriptus est, sexto libro adtribuas, quamquam in codice quintus liber laudatur\*\*); libra-

\*) Hunc quoque *familiares* titulum Plinio esse adtribuendum, quamuis eius nomen in eo non legatur ex eis quae supra de dubiis ablatiui s. formis diximus, adparet.

\*\*) Emendationi nostrae id quoque fauet quod codicis scriptura hoc in titulo alias mendosa est: extant enim in illo libro haec: 'et *anius* qq. dubii sermonis. V. adicit.'

riorum enim errore pro 'VI' numerum 'V' scriptum esse ostendit *Aurelii* titulus XVII capitis pag. 122, 6. 7. Atque cum hoc quem emendauimus loco excepto, nullus Plinianus titulus extet, in quo alius quam sextus dubii sermonis liber laudetur, ceteros *gibber bulleus uortex pampinus* titulos quoque ei libro adscribamus necesse uidetur: quamquam enim ei ad argumentum a ceteris diuersum spectare uidentur, tamen eis in sexto libro locum fuisse posse hi *osca* pag. 139, 11. 12 *laterale* pag. 135, 13—16, *aqualium* pag. 118, 33 extantes demonstrant tituli.\*)

Praeter titulos supra commemoratos alias quoque in capite XV Plinianas contineri obseruationes ex eo adparet, quod haud paucis locis eadem scripta sunt, quae in XVII capite sub Plini nomine exhibentur. Praeterea autem duo maxime sunt tituli, in quibus eius librorum uestigia repperi, qui pag. 106 de *Albani* et *Albenses* nominum discrimine et de *sal* nominis genere scripti extant: faciunt enim cum eis, quae in fragmento 'incerti grammatici de nomine et pronomine' apud Endlicherum pag. 134 et in Pompei commentario in Donati artem pag. 108 Plini auctoritate exhibita explicantur. Quae si non omni ex parte cum eis, quae apud Charisium scripta sunt, conspirant, eo argumento excusantur, quod Charisius Romanum in XV capite non ad uerbum exscripsit neque Romanus ipse uerba Plini reddidit, idemque de Pompeio iudicium rectissime fit a Nipperdeio in adnotatione ad Caesaris fragmentum quoddam (pag. 753). Cum autem et Romani et Charisi industria ea, quae ille ex Plini libro mutatus est, tali modo permutata sunt, doctrinae eius in XV capite uestigia tam lenia sunt, ut equidem eos qui praeter supra commemoratos titulos Pliniani esse uidentur, pro Plinianis uenderenon audeam.

Atque haec sunt, quae de Plini reliquiis a Charisio seruatis mihi enucleare contigit. De eis, quae ab aliis grammaticis traditi sunt, atque de dubii sermonis librorum partitione Plinia-noque consilio altera in particula disseram. Ut autem iam hoc

\*) Ea quae de *clipeus* et *clipeum* formis pag. 77, 20 explicantur, Plini esse coniecit Fabricius; refutatur uero hic eo, quod Plinius h. n. libr. XXXV, 3. 4 doctrinam ab ea, quae illo loco proponitur, prorsus diuersum sequitur.

loco quas rationes Plinius in libris grammaticis illis componendis secutus sit, obiter commemorem, liceat hanc dissertatiunculam eiusdem h. n. praefationis unde exorsi sumus verbis finire, quae apertissime quo consilio ille usus sit demonstrant:

‘Res ardua vetustis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus uero naturam et naturae suae omnia. Nobis itaque etiam non adsecutis uoluisse abunde pulcrum atque magnificum est. Equidem ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse qui difficultatibus uictis utilitatem iuuandi praetulerint gratiae placendi idque iam et in aliis operibus ipse feci.’

## ALFREDI SCHOTTMVELLERI VITA

Natus sum Berolini ante diem decimum Kal. Iun. anni CIDIOCCCXXXIII patre Adolpho Muellero qui nomine mutato nunc Schottmueller adpellatur, matre Henrietta de gente Roekenstein. Fidei addictus sum euangelicae. Litterarum primordiis inbutus ab optumo patre atque ab E. H. Schmidtio praeceptore doctissimo, gymnasium adii Fridericium Guilelmum quod floret direttore F. Rankio; mox inter alumnos scholae Portensis receptus per sex annos egregia ‘almae matris’ magistrorumque praestantissimorum beneuolentia usus sum, e quibus C. Kirchneri C. Iacobi C. Keili C. Corsseni disciplinae plurima me debere libenter confiteor; gratissima memoria C. Steinhartum colo tutorem sapientissimum et alterum patrem. Ab anno inde LIII quoniam Berolinensis uinersitatis ciuibus adscriptus philologiae et theologiae operam daturus eram, scholas frequentavi uirorum doctissimorum I. Bekkeri Boeckhi Gruppi Haupti Lehnerdti Straussi Waageni. Ceterum sacris studiis mox abdicauit. Duobus annis post denique quod dudum optaueram euenit, ut Bonnam migrare mihi liceret totumque me dedere studiis philologicis. Per triennium prodocentes andini Buechelerum

Dahlmannum Iahnium Loebellium Monnardum Ritschelium Welckerum, quibus uiris omnibus gratia sago quam maxumas. Prae ceteris autem colendus mihi est Fridericus Ritschelius qui, ut alia taceam, et bibliothecae adsistentem me reddidit et suavi consuetudine atque adhortatione insigniter de studiis meis philologicis meritus est. Eiusdem Ritscheli et Welckeri beneuolentia in seminarium philologicum receptus sum, cuius socius ordinarius fui per duos annos et dimidium, senior per annum.

## SENTENTIAE CONTROVERSAE

- I Tacit. Agricol. cap. 30 scribas:  
 'Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus fama in hunc diem defendit.' —
- II Pliniana uerba h. n. l. VII § 2 Sill. sic restituo:  
 'Hominem tantum nudum et in nuda humo natali die abicit ad nagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrimas. Et hae protinus uitae principio, at hercule risus procax ille' e. q. s.
- III Apud Caecilium Plinium l. III ep. VIII § 5 scribas:  
 'Ille accusationem uel fortuita uel uoluntaria morte praenertit. Non fuit mors eius infamis, ambigua tamen.'
- III Batrachomyomachiae uersus 267. 296. 297 Baum.-eiciendi sunt.
- V Quae de Germanorum agricultura C. Inlius Caesar et Cornelius Tacitus diuersa produunt, e uitae conditionibus per saeculum permutatis explicanda sunt.
- VI Danaï fabula historiae ansam non praebet.
- VII Ei qui Vediois nomen numenque secundum Ouidium aut Macrobinum exponunt, contra grammaticam peccant.
- VIII Philologia unicum artis historicae fundamen est.
- VIII Fridericus Magnus litterarum Teutonicarum renascentium auctor fuit, Lessingius magister. —



